


NON OMNIBUS IDEM EST
QUOD PLACET
PETRON. FRAGM.
THEOLOGI
IURIDICI
MEDICI
HISTORICI
PHILOSOPHI
EX LIBRIS
BIBLIOTHECÆ
D. ZACH: CONR: AB UFFENBACH. M. F.



RER:
AGIS
RA

# ACADEMIAE
# CAESAREAE-LEOPOLDINO
# CAROLINAE
## NATURAE CURIOSORUM
# EPHEMERIDES
*SIVE*
## OBSERVATIONUM
## MEDICO-PHYSICARUM
A
*CELEBERRIMIS VIRIS*
Tum Medicis, tum aliis Eruditis in Germania
et extra eam communicatarum
## CENTURIA IX. et X.
*Cum*
## APPENDICE
et
*Privilegio Sacr. Caes. Majestatis.*

---

*AUGUSTAE VINDELICORUM,*
Apud Viduam PAULI KüHTZII,
Litteris PETRI DETLEFFSEN.
ANNO M DCC XXII.

# CAROLO
## A DEO DATO
IMPERATORVM CAESARVM
# MAXIMO
PIO FELICI SEMPER AVGVSTO
GERMANIAE HISPANIAE
INDIARVM HVNGARIAE BOHEMIAE
CASTILIAE LEGIONIS ARAGONIAE
SICILIAE VTRIVSQVE HIEROSOLYMORVM
NAVARRAE DALMATIAE CROATIAE
SCLAVONIAE BVLGARIAE BOSNIAE
SERVIAE ET RASCIAE
# REGI

ARCHIDVCI AVSTRIAE
DVCI
BVRGVNDIAE BRABANTIAE
MEDIOLANI STIRIAE CARINTHIAE
CARNIOLAE AC LVCEMBVRGI
VIRTEMBERGAE ET VTRIVSQVE
SILESIAE

PRINCIPI SVEVIAE

MARCHIONI BVRGOVIAE
MORAVIAE ET LVSATIAE

COMITI PRINCIPALI
HABSPVRGI TIROLIS PFIRETARVM
KYBVRGI ET GORITIAE


PROVINCIALI ALSATIAE
COMITI FLANDRIAE

DOMINO MARCHIAE VENEDICAE
PORTENAVIAE ET SALINARVM

*ET QVAE SVNT RELIQVA*

TOT CAESARVM REGVMQVE
IMAGINIBVS GLORIOSISSIMO
PACIS BELLIQVE TRIVMPHATORI MAXIMO
ORBIS PACATI PATRIIS VIRTVTIBVS
RECTORI INVICTISSIMO
INTER IMPERII CVRAS GRAVISSIMAS
MVSARVM STATORI BENIGNISSIMO
COELI ASTRORVMQVE BENEFICVS
INFLVXVS
SALVTIS INTEGRA CONSERVATIO
FAVENTE LVCINA TORI PROGENIES
FAVSTA
CARA DEVM SOLOLES
MAGNVM IOVIS INCREMENTVM
TRANQVILLA REGNORVM POSSESSIO
SVBDITORVM OBSEQVIVM TVTVM
ET VERI SI QVID MENS AVGVRAT OMNE
OPTATVR
ATQVE VOTIS QVANTVM FIERI POTEST
ARDENTISSIME EXPETITVR
AB
ACADEMIAE NATVRAE
CVRIOSORVM
*PRAESIDE, DIRECTORE, ADIVNCTIS ET*
*COLLEGIS VNIVERSIS*



Vod ex effato Ciceronis, facundiae illius Latiarumque Muſarum parentis, novimus: Non minus bellandi virtutem in ſummo ac perfecto Imperatore quaerendam eſſe, ſed multas etiam artes eximias hujus adminiſtras & comites virtutis, nam quanta innocentia, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, fide, felicitate, ingenio & humanitate Imperatores eſſe debeant, id, IMPERATORVM SVMME, *MAIESTAS VESTRA* Exemplo Suo pleniſſime comprobavit & confirmavit. Nam cum Regna Sua ab oriente & occi-

dente

dente hostiles turmae temere invasissent, fortitudine non minus ac constantia & potente armorum robore eas repressit, sicque reddere Orbi quietem, seculo pacem suo, summa virtus fuit, postquam perenni victoriarum tenore unus triumphus alteri novo materiam subministravit, nec unquam haesitante fortuna ingentes hostium copiae prostratae, validissimae urbes ac munitissimae arces aut vi expugnatae, aut terrore ad deditionem compulsae sunt. In eo tamen felicissimo belli successu *MAIESTAS VESTRA CÆSAREA* omnium commotionum moderatrici tranquillitati singulare prorsus indixit temperamentum, & cum Iustiniano Imperatore, nihil esse tam peculiare Imperiali Maiestati reputavit, quam humanitatem, per quam solam DEI servatur imitatio, ideoque in secundis rebus in adversarios superbe, ac violenter nil consulit, nec meliorem tutioremque certam pacem, quam sperandam victoriam ab-

nuit. Fidei delubrum Numam Pompilium Romæ olim dedicaſſe, ad quod flamines bigis & curru arcuali vecti, manuque ad digitos usque involuta rem divinam facerent, & hac ipſa ceremonia fidem tutandam, ſedemque ejus in dextris ſervatam eſſe ſignificarent, à Livio accepimus. Nos in *MAIESTATIS CÆSAREÆ* animo fidem tacitum veluti Numen reconditum colimus, hæc ſiquidem in

*Corde ſuo delubra tenens, ſeque omnibus actis*
*Inſerit, haec nullo docuit liveſcere fuco,*
*Nunquam falſa loqui, nunquam promiſſa morari,*
*Inviſos odiſſe palam, non virus in alto*
*Candore, non laetam ſpeciem praetendere fraudi,*
*Sed certum mentique parem componere vultum.*

Quodſi præterea juxta C. Plinium Iuniorem vera felicitas eſt, felicitate dignum videri, quis *AVGVSTISSIMO NOSTRO CÆSARI* feliciorem ullum eſſe ſibi perſuaderi patietur, quo magis *SVA MAIESTAS* & DEI & Sui meminit, uti olim ſapientiſſime Xenophon cenſuit, nec inquieta felicitas eſſe poteſt,

teſt, quando inter obſequia fortunæ cauta eſt mortalitas. Humanitatem *AVSTRIACÆ DOMVI* propriam pleno ore eloquentur omnes & ſinguli, quicunque mite Caeſareum pectus & mollem affectum ad omnium calamitatum conſpectum viderunt, immarceſcibilem gloriae adoream *CÆSARIS* prudentia & conſiliorum vis pene Divina jam dudum promerita eſt, dum ſemper ſagi togaeque officia diviſit, & ſub graviſſimo imperialium occupationum pondere atque verenda Regibus Majeſtate artes literasque curae ac cordi ſibi eſſe voluit. Alexandro M. ideo *MAIESTAS CÆSAREA* æquiparanda, qui in tanto expeditionum ac triumphorum numero literas quoque reſpexit ac coluit. Caeterum ſuperat verborum noſtrorum vim, facundiamque exhaurit omnem ineffabilis *CÆSAREA GRATIA*, qua Academiam noſtram curioſam hucusque clementiſſime dignata eſt, hæc ſiquidem ſicuti ſub Divo Genitore *LEOPOLDO* natales ſuos

 nacta,

nacta, sub gloriosissimæ memoriæ Fratre *IOSEPHO* adolevit, ita sub *MAIESTATIS VESTRÆ* clypeo incrementum sumsit notabile, jamque audet industriæ suæ maturas fruges ad aram Vestram humillime deponere, spe freta certissima, ut quibus Augustæ Benignitatis radiis priores excepit, præsentes etiam gratiosissime sit animatura. Interim nos, universo orbe admirante, *CÆSARI NOSTRO* inter victrices hederam serpere laurus subjectissime suspiciemus, & quod superest, à DEO ter optimo maximo id seriis exorabimus precibus, ut mox seculi spem celebrare, novum sidus caliganti mundo exoriturum intueri,


*Dardanium Divinae Stirpis Acesten* :

venerari, & votorum nostrorum culmen assequi possimus. Sit adeo felix *MAIESTAS VESTRA CÆSAREA.*

*Nostrosque levet quoscunque labores.*

CATA-





# CATALOGUS
## NOBILISSIMORUM DOMINORUM,
## Quorum Observationes Physico-Medicæ in his duabus Centuriis leguntur.

D. D. Jo-

Cæsar.









# OBSERVATIONUM PHYSICO-MEDICARUM ACADEMIAE CÆS. LEOP. CAROLINÆ NATURAE CURIOSORUM CENTURIA IX.

## OBSERVATIO I.

Dn. Joannis Conradi Lib. Baronis à Brunn,

## *Mira Metaſtaſis.*



Erſona quædam illuſtris, LV. annorum, proceræ ſtaturæ & bilioſæ naturæ, capillis flavis, curſu & ſaltu pernix, nervoſa, acris judicii; morbos infantiles perpeſſa, veneris utrum effugerit & hinc Chirurgorum manus, ego quidem neſcio. Defluxiones varias experta, rheumatiſmos, dolores iſchiadicos, catarrhosque alios graves, pertinaces. Aliquot abhinc annos vertiginem ſenſit cum tinnitu auris ſiniſtræ: ſecuta eſt paralyſis muſculorum fa-

ciei cum oris tortura, & oculi dextri, ut claudere illum non potuerit. Varia adhibita fuerunt remedia, thermæ quoque & acidulæ, quas amavit: recurrit tamen usque affectus tempore præsertim hiemali, circa initium Januarii. Altiùs rem pensitans medicus de lymphæ errantis, hinc inde vitiosè quin periculosè stagnantis puritate dubitare cœpit: suasit loco acidularum, thermarum & similium specifica decocta: quæ profuerunt præ aliis. Anno sequenti medio Januarii rediit catarrhus cum dolore capitis, oculi dextri inflammatione, coryza atque tussi pertinaci, citra paralysin musculorum faciei, manente tamen tensione quadam eorum. Suasit medicus idem remedium cum manifesta euphoria. Anno subsequenti, cum tempore pacis meditandum sit bellum, de annuo cogitans & venturo malo, ad illud præveniendum suasit decoctùm Salsæ parillæ methodicè usurpandum, id quod ante finem Novembris per negotia non licuit. Die quarto ab ejus usu sensit acrimoniam in reddenda urina, in qua corpuscula oblonga, ceu ex prostatis apparuerunt. Die XIV. pustulæ in labio superiori effloruerunt, ceu solent in febribus, id quod animum addidit, quia tensio musculorum faciei insigniter remissa fuit. Continuavit usque ad finem anni, per XXXII. dies. Vim materiæ albicantis, acris, turbidæ cum multo muco per urinam reddidit, cum nixu, stranguria & tenesmo ceu à calculo. Die XIV. Januarii M DCC XIX. sitiit insolitò, aures stillarunt sanguine, successit coryza cum tussi & jamjam anniversaria imminere opinatus æger dolorem sensit ex tarso pedis dextri, qui incessit radicem pollicis, totumque hinc tarsum cum tumore, rubore occupavit: Doluit abhinc quoque ex manu sinistra, citra tumorem. Sæviit dolor præsertim circiter secundam matutinam. Quæ dum fiebant in pedes, cessavit statim coryza cum tussi & stranguria; tensio musculorum faciei, ceu detractâ larvâ abiit: verbo: castra movit morbus, & capite relicto, facta metastasi transiit faustè in pedes.

SCHO-

# SCHOLIUM.

Mira fuit catastrophe, dum tot & tanta annis præteritis circa caput grassata fuerunt symptomata, ut apoplexiæ proximus videretur æger, post usum salsæparillæ omnia conversa, & ad pedes, quod ajunt delapsa fuerint. Neque enim usque adeo tuti eramus de malo forte juvenili inveterato: unde aut averruncanda periculosa symptomata, quæ quotannis mense Januario redire sunt solita, lympham vitiose errantem & hinc inde periculosè stagnantem usu salsæparillæ, quæ olim profuit, instituimus repurgare, & quidem eo cum effectu, ut quarta die acrimoniæ circa collum vesicæ excitatæ fuerint, fortè ante sopitæ (nam filamenta albicantia identidem visebantur cum ardore urinæ) cum stranguria, quæ crevit in dies, atque tenesmo ceu calculus in vesica lateret: quæ perseverarunt per totum curæ tempus & jam post finitum. Multa mucosa, albicantia, farinacea aut chylosa secesserunt cum ingenti afflictione: Coryza supervenit cum tussi, præcedente hæmorrhagia narium. Apparente fortè fortunâ dolore in metatarso dextro, facta καταῤῥυπῇ omnia eò ceu ad metam conversa fuerunt.

Interrogatus quondam à Med. Doctore & Professore, Practico insigni, quænam medicamenta inter tot re maximè efficacia observarim in praxi? Respondi, plura dari. Illam autem phrasin mutandam esse, quam dicunt medentes, hoc vel illo remedio se sanâsse ægrum; mutandam & dicendum potius: Dum hoc vel illo remedio utebar sanatus fuit æger. Subrisit ille. Remedio tribuam an naturæ tantam morbi catastrophen, dicere non possum. Salutarem tamen in morbis præsertim venereis salsæ parillæ efficaciam expertus fui in pluribus, præsertim ubi non nisi mitissimis superest locus, in tabidis, extenuatis cum febre lenta. Cæterum jam olim profuit, cum ab ejus usu symptomata paralytica seu apoplectica cessarunt, ut eo majori ratione permoti eundem

hoc anno, ad prævenienda illa, repetere consultum duximus. Credo & remedium & naturam manus commodâsse sibi mutuô, salsam parillam quidem solvisse, naturam autem movisse morbi causam & ad extremitates ablegasse. Eò magis autem arrisit salsa parilla, cum utrobique satisfaciat, & in aliis lymphæ vitiis, & arthriticis & venereis. Formula hæc est: ℞. Rad. Salsæparill. select. ℥iij. Concis. & conquassat. infund. in Aq. fervent. ℔ vij. per 12. horas, postea coq. ad medietatem: Colaturæ ℥viij. sumantur bis vel etiam ter quotidie, continuando per quadraginta dies, c. regimine. Residuo adde Salsæpar. ℥i. Coq. cum Aq. ℔ IX. ad tert. part. consumpt. c. flavedin. Citr. Cinam. pro potu ordinario. Vitando frigus externum, cibos acidos, salsos, fumo induratos &c. quibus desperati ad sanitatem redierunt.

# *OBSERVATIO II.*

## Dn. Joannis Conradi Lib. Bar. à Brunn

## *De Calculo Vesicæ.*

REverendissimus atque Celsissimus quidam Princeps LXII. annorum, vividus olim atque floridus, habitus corporis pleni, amavit salsa, fumo indurata, vixit in aëre locisque, quibus scorbutus est endemius: multos olim commisit excessus in vino: parum ægrotavit, vegetus usque & robustus. Nephritide tandem cœpit laborare, & lapillos aliquot excrevit. Anno ætatis LVI. dysuriam, mox stranguriam passus cum tenesmo. Urina tamen continuo radio fluxit, nunquam intercepta, claraque citra sedimentum mucosum apparuit. Calculum suspicabantur medici, eoque magis, quod jam olim apillos excreverit æger; adeo ut tantùm non omnes sectionem suaserint. Ipse autem, exemplo antecessoris à sectione mortui deterritus eam abhorruit: nec probârunt nonnulli cum anceps foret eventus, in sene præsertim, scorbutico, qui-

que potando olim infaustum sibi contraxit prognosticum, quem conservare familiæ magni intererat. Palliare hinc malum, vitamque prorogare consultius visum.

Missis acribus, diureticis & lithontripticis, quibus cum damno usus, id fuit studium, urinæ acrimoniam temperare, partem affectam lenire; quin, si per artem liceret, vesicam blanda mucagine unà cum calculo obducere & palliare. Factum est ita: Usus est æger pulvere mitigante Wepferi mane atque vesperi, horâ abhinc bibit decoctum Foresti aut simile. Insuper juscula ex Rad. rec. Malv. Alth. cum cancris fluviatilibus contusis; cui præmisit Oleum Amygd. dulc rec. ex. Noctu Emulsiones Sem. frigid. Violar &c. insigne levamen attulerunt. Catheterem eo consilio omisimus, ut confirmaretur in sua opinione æger, non esse, nisi acrimoniam urinæ scorbuticam: detecto autem calculo desponderet animum, magísque ægrotaret: Præter varia mulcimina tam diætetica quàm pharmaceutica, suasit quidam usum mercurii dulcis septies sublimati ad grana aliquot, nunquam tamen ad salivationem usque. Inde egregium sensit levamen, ut quotannis, curæ vernalis locô eum repetierit, eo cum profectu, ut equum conscenderit, equitaverit, id quod ante per quinquennium ipsi non licuit: acidulas biberit, quas autem ferre non potuit; & tam bellé sese habuerit, ut medico extero abeundi & ad curanda sua peregre proficiscendi licentiam dederit; & quod plus est belle se valere scripserit absenti. Nimium fortè valetudini confisus venationibus, tempore quoque frigido inhiavit; in conviviis contra amicorum dehortamenta frequentioribus sese plusculum invitavit sæpius: unde exacerbata fuerunt omnia. Medicus longè accitus tantùm non in deplorato invenit ægrotantem statu: dolores præsertim, stranguria cum tenesmo acerbi; oris siccitas absque siti; nausea & vomitiones crebræ; deliquia cum dextri pedis frigore & œdemate infestârunt. Accessit febricula cum levi deli-

rio; fluxit ſtercus & urina involuntariè, tandem blanda morte calamitatum finem fecit.

Poſtridie aperto cadavere omnia viſcera abdominis integra (ita Proſector) nec ullo inflammationis ſtigmate notata: Renes juſtô grandiores, ſiniſter præſertim: Ureteres utrinque turgidi ceu gallinæ inteſtinula. Poſtquam Renum dorſa incidi, urina pleno flumine proſiliit: Pelves ampli erant, qui digitum facilè admiſerunt, nullo ſabulo obſiti, niſi ſub capite ureterum, & circa finem eorundem ad veſicam. Corpus veſicæ cùm manu comprehenderam duritie retinebatur; quo à fundo verſus collum diſſecto in conſpectum venit calculus, magnitudine & figura ovi gallinacei, parum applanatus, cætera glaber, ceu ex pluribus lapillis compactus rotundis, liber undique, capacitatem veſicæ, ceu nucleus corticem opplens, pondo quatuor unciarum cum dimidia. Ipſa veſica medium digitum craſſa, craſſior verſus cervicem: internè cavernulæ, cicatrices, filamenta, uti in thalamis cordis circa columellas conſpiciebantur, absque rubore, inflammationis aut gangrænæ nota. Vaſa ſanguifera exhauſta & exanguia: Cor flaccidum, complanatum ac ſemunciam ſanguinis continuit: Pulmones pallidi, diſſecti ne guttulam ſanguinis fuderunt; hactenus Proſector.

## SCHOLIUM.

INter alia, quæ in memorato Caſu occurrunt illud inprimis notatu dignum videtur, dum calculum in veſica geſtavit æger per annos, non quidem citra incommodum, quod fieri non poteſt, ita tamen ut poſtquam vitavit noxia, tam in diæta, quàm pharmacia, vividus, vultu & corporis habitu floridus, & quod ante per quinquennium non licuit, conſcenderit equum, equitaverit, quin quod fidem pene ſuperat, cicatrices ex vulnere, ſiniſtra methodo contracto invenerit Proſector in veſica. Contraria huic methodus fidem fecit, dum ille interdixit omnibus, quæ hoſtem irritare vul-

re vulnusque exaſperare poſſent, undè perbellè ſeſe habere ſibi viſus medico peregre abeundi licentiam dedit. Inde autem abſente medico ad priora relapſus tam venationibus tempeſtate frigida inſtitutis, quàm conviviis, contra monita amicorum & præſcripta medici, morbus recruduit & ad internecionem usque ægrum excruciavit.

Fuit & alius Calculo veſicæ obſeſſus qui prædicta methodo ſatis commodè vixit: in ejus cadavere, aliùs morbi genere defuncti Calculum veſicæ reperit Wepferus b. m, quem inter curioſa aſſervavit, non glabrum, ſed hiſpidum & prominentiis horridum. Pulvis mitigans Wepferi fuit ſequens: ℞. Radic. Alth. ℥j. Glycyrrhiz. ℥ß. Sem. Bombac. Portulac. Papav. albi an. ʒij. Bol. armen. or. ppr. Farin. Hordei an. ℥ß. Gum̃. Arabic. ʒj. Tragacanth. ſelect. ℈ij. Sacch. penid. ℥ß. Mſc. f. pulv. ad Scatul. Doſis manè ac veſperi ʒj. c. Cremore hord. aut lacte rec. non omiſſis aliis ſupra memoratis. Ergo lithotomia in calculo veſicæ non ſemper abſolutè erit neceſſaria.

## *OBSERVATIO III.*

### Dn. Joannis Conradi Lib. Bar. à Brunn.

### *Apoplectici anatome.*

DN. N N. LII. annorum, facie rubicunda, tubicinis officio apud Electorem Trevirenſem condignè functus, ob caſum dentium factus inhabilis, in Italiam miſſus in arte Muſica ita profecit, ut Magiſtri munere functus fuerit per annos cum laude. Duodecima Junii M DCC XIX. ob inſignem æſtum ſeſe plusculum invitavit cum ſociis in vino rubello. Noctu apertis ex utraque conclavis parte feneſtris aëri frigidiuſculo nocturno ſeſe expoſuit. Manè ſurgens circiter quintam matutinam, vertiginem & capitis perturbationem ſenſit, unde ad captandam phialam Aqua Reginæ Hungariæ plenam,

nam, ciſtam, quam habuit in Conclavi, capite demiſſo reclusit. Relevato hinc capite vertiginoſus hemiplegia lateris ſiniſtri tactus fuit cum vocis interceptione & maxima capitis perturbatione. Medicus vocatus ſtatim ſanguinis miſſionem in pedum dextro imperavit, nec ſufficienter ob vulnuſculi exiguitatem eo emiſſo, poſt meridiem ſecundam in eadem parte inſtituit. Vinum ſubtraxit & propter ingentem ſitim decoctum ſuaſit: Mixturam inſuper ex Aq. Ceraſor. nigr. Flor. Til. c. ♂. diaphor. Lapill. ♋. Succin. ppt. Cinnab. ♂. & Nitr. ♂to. Dolorem capitis ingentem ſenſit æger ex parte capitis dextra, præſertim à motu quocunque, tuſſi præſertim: cum ſomnolentia & ſtertore. Applicita fuerunt veſicatoria Femoribus, Clyſteres immiſſi & reliqua pro rei exigentia adminiſtrata fuerunt, quæ tamen non impediverunt, quin tertia ab inſultu die cum ſummo ſtertore extinctus fuerit, ſcilicet d. 15. ſub auroram. Poſt meridiem ſectionem inſtituimus: Ablato cranio cerebrum bona ſpecie apparuit, ſecto ventriculo cerebri ſiniſtro ſerum cruentum effluxit: Dextro abhinc grumi ſanguinis apparuerunt & cauſa mortis copioſi. Cæterùm immenſa ſiti laboravit vivens, cum halitu oris putreolente, ut intrans cameram odorem vix ferre potuerit Medicus.

Imprimis notatu dignum illud occurrit, dum dextra cerebri parte affecta paralyſis in latere ſiniſtro contigit, qua lingua, labium ſiniſtrum, brachium atque pes, univerſum ſcilicet latus ſiniſtrum affectum fuit.

*Notæ.*

I. Tubicen olim tubam, & cum hac vaſa cerebri, teſte experientiâ inflavit, unde diſtenta majorem rumpendi habilitatem nacta fuerunt.

II. Vina rubra ſumma & caput petunt præ albo, hæmorrhagiam narium excitant, & apoplexia frequens in locis, ubi vina rubra bibuntur juſtò copioſiùs.

III. Ter-

III. Terrore tempestatis sanguis rarefactus, vino rubro incensus caput petiit, repercussus frigore nocturno; cui se nudum exposuit, majore impetu vasa cerebri distendit, distenta jam olim disrupit & apoplexiam sanguineam excitavit.

# OBSERVATIO IV.

## Dn. D. Onuphrii Bonfigli.

## *Ren magnitudinis excedentis, & extra naturalem situm, internâ substantiâ partim petrificatus, partim cavus, atque repletus foliatâ glutinositate inter urinam ibi stagnantem.*

QUotquot in medicina observationes mihi obvenerunt stupendæ, non adeo tuam expectationem explerent, obligantissime Klauningh, sicut ista, quæ patuit post fata Illustr. Comitissæ de Morstyn Capitaneæ Siradiensis; in cujus extravagantis morbi colluctatione una cum Excell. D. D. de Helvich Tu quoque nostrorum laborum pars magna fuisti.

Scis enim, prædictam Matronam spiritu promptissimo, temperamento sanguineo-bilioso, corporis habitu cacochimo, & ruso genarum colore præditam, ab ineunte ætate dysuriam concepisse, urinam copiosam interdum ad instar seri fluidiorem, albescentem, interdum crassiorem ad instar lactis excernendo; in qua per ultimum vitæ annum lymphatica materia concreta, & innatans comparuit membranaceo glutini similis, & distincta in plura frustula foliata, aliquando expansa, aliquando convoluta, quorum crassities chartæ pergamenæ & latitudo argenteo scuti nummo plus minus comparabantur: Hæc protrudi è vesica cum urina consuerat gravissimi ponderis sensu, dolore, ac ardore. Hujusmodi insolitum excretum figura, & substantia à sedimento mucoso diversum meruit quoque admirationem Excell. D. D. Egherdes tunc Cracoviæ sapienti suo consilio præsentis.

Scis etiam, in Patientis dextro hypochondrio inveteratum tumorem, qui manibus tractari permittebat extitisse. Scis maculas, vulgò dictas hepaticas, sparsim ejus cutim sæpè fœdasse, atque menstrua copiosa cursus suos sine virium debilitate accelerasse. Scis anno ante obitum tertio per universum abdomen dolores (in tumoris autem circumferentia graviores, & per mensem perseverantes) ipsam cruciasse, qui inposterum veræ nephritidis signis aliquando sese prodiderunt.

Scis post longum catarrhum cum tussi ferina, convulsivum asthma eidem supervenisse, quod paroxysmis suffocativis à principio rarioribus, successivè frequentioribus imminentis mortis timorem incutiebat. Hos paroxysmos vapor utplurimum præveniebat à lienis regione ascendens, & qui ex minima occasione odoris acuti, aut animi pathematum suscitabatur. Scis tussim siccam magis de mane infestantem cum rara phlegmatis non corrupti excretione febrem lentam noctu incalescentem concomitasse, cum corporis emaciatione, debilitate, nec non abrasionibus, & constrictionis sensu per fauces, & pectoris interiora. His non obstantibus appetitus à consuetudine nihil defecerat.

Postquam autem ægra Poloniæ sese restituerat, notum adhuc te facere debeo, tumorem œdematosum ad phlegmonem accedendo, & suppurando aperuisse ulcus super tibiam dextri pedis, superveniente gangræna; cui & pes sinister successivè factus sphaceli comes acceleravit mortem; confecto ætatis tempore 48. annorum die 25. Januarii 1718.

Cadavere aperto, abdomen primo examini patebat. Statim inter ilium dextrum, & umbilicum prominens globus sub intestinis apparebat, quem non sine admiratione detectum, unum ex renibus fuisse ab inferiori costa notha dimissum, & à lumbis distractum (quibus tamen appensum, atque hepati per latam membranam hærentem) dignovimus. Hujus moles quintuplo naturalem excedebat, figuræ ovalis, ad

tactum renitens. Cultro ren iste monstruosus discissus demonstravit, substantiam corticalem glandulosam, seu vasculosam juxta naturam perstitisse; illam autem, quæ vasa renalia, & pelvim respicit, degeneratam fuisse in petrosam duritiem, quæ longa calcinatione vaporosa poros adepta osseam potius faciem imitabatur, & cujus crassities mediam digiti latitudinem occupabat. Pars verò interior tubulos urinarios, qui in papillas desinunt, continens carnosa, & maxima ex parte excavata amplum constituebat marsupium, in quo urinæ copia stagnabat una cum multis frustulis lymphatici illius concreti, quod membranatim in matula comparuerat. Ingressus ad ureteres exterius pollicis crassitiem admittebat. Reliqua viscera in hac cavitate contenta sine labe fuere.

In ventre medio pulmones excedentis magnitudinis totam ferè thoracis cavitatem implebant, quorum superficies colore livido cum violaceo intermisto maculabatur. Gibbosa latera utriusque lobi, mediante pleura, costis, extremitates verò diaphragmati tenaciter hærebat. Horum internum corpus ad instar spongiæ mucositatibus erat imbutum, & hinc inde frequentes vesicularum racemi exulcerati, & putridâ materiâ infarcti distinguebantur.

Hinc manifestatas habes, Amice, causas organicas occultarum affectionum, quæ in diversas sententias Medicos distraxerunt. Me interim dilige, & vale.

(*Cracoviæ d.* 1. *Febr. A.* 1718. *Vratislaviam missa.*)

# OBSERVATIO V.

## Dn. D. Josephi Lanzoni.

## *Febris quartana à terrore fugata.*

ADolescentula Ferrariensis, temperamenti sanguinei, sub autumno febre correpta fuit octana, non quidem ob-

ſcuris, ſed paroxyſmis evidentiſſimis, quæ hyeme in quartanam converſa fuit; horrore primo horas duas durante corripiebatur, inde ſuperveniebat febris 16. horarum ſpatio perdurans: fruſtra fuere adhibita plurima, ita ut adoleſcentula debilior facta vix è lecto ſurgere poſſet; denique quod remedia non potuere, valuit timor. Nam cum in acceſſionis principio exiſteret, & in lectum ſe ad paroxyſmum ſuſtinendum componeret, ac ſopita ſomno indulgeret, repente ſoror ejus cubiculum ingreditur, dicens: Surge & propera, domus enim noſtra incenſa concrematur, audi clamores populi, audi vicinos fletus, fuge ignem, fuge necem. Hoc audito, ſurgit attonita, & ſemiveſtita ad januam domus currit; tunc ſoror ejus clamat: ſiſte fatua, nec vides me tibi jocum feciſſe, taleque finxiſſe periculum, ut à pertinacia febris timor te liberaret? Et ita revera evenit, ac jugulato quaſi paroxyſmo, ſtatim ſana facta eſt, & adhuc Dei gratia ſana vivit. Et Matronæ recordor, quæ patiebatur fere continuum capitis dolorem, atque ob infeſtum nuncium repentinum mortis filii ſui, ſana facta nunquam inpoſterum capitis ſenſit dolorem, mœſta tamen ac infelix ob filii necem diu vitam duxit.

# *OBSERVATIO VI.*

## Dn. D. Joſephi Lanzoni.

### *Surditas ex terrore.*

ADoleſcentula nobilis & formoſa, annorum ætatis 15. cum ruri eſſet, ex conſpecto angue, improviſo in herba juxta ſe obſervato, tanto terrore corripitur, ut tremens & frigido perfuſa ſudore domum reverſa, lipothymia corriperetur, qua ceſſante ſurda eſt facta, & adhuc nonniſi fortiter clamantis vocem audit, ſonumque campanæ haud percipit.

*OBSER-*

# OBSERVATIO VII.

## Dn. D. Josephi Lanzoni.

## *Splen petrefactus.*

IN historia Acad. Reg. Scient. Anno 1700. Dn. Littrè ostendit lienem humanum petrefactum erutum è viro 60. annorum; cui non absimilem liceat mihi referre casum, cujusdam nempe fabri ferrarii, ætatis 55. ann. temperiei melancholicæ, ad fletum proni atque ad iram; is post dolorem colicum ictericus est factus, accessit febris primo quartana, mox duplicata malignæ naturæ, vigesimo autem morbi die pertinax narium hæmorrhagia, cum letali eventu. In cujus cadavere aperto varia notabilia reperta sunt, uti pulmo flaccidus & lividus, cor nigris maculis fœdatum, pancreas penè consumtum, mesenterium flaccidum & saniosum, jecur aqueis vesiculis plenum, vesicula fellea vacua, renes succenturiati fere consumti, lien vero taliter induratus & exsiccatus, ut lapideam referret naturam, cultro enim anatomico non cedebat, & malleolo percussus in tres divisus partes ut saxum frangebatur. Quem D. Cæsar Lollius, discipulus quondam meus adhuc conservat.

# OBSERVATIO VIII.

## Dn. D. Josephi Lanzoni.

## *Hæmorrhagia letalis ex scarificatione.*

NUper miles præsidii nostri Ferrariensis annorum 55. mali habitus, & obstructionibus viscerum obnoxius, febri mali moris correptus medicam imploravit opem; cui, præmisso clystere, impositæ fuere octo cucurbitulæ scarificatæ, per quas non tantum magna sanguinis copia effluxit, sed pessima etiam secuta est hæmorrhagia, quippe cruor enormiter dissolutus,

totus per levia cucurbitularum foramina infra 24. horas effluxit, absque eo, quod ars nostra ei auxiliari potuerit, omnibus adstringentibus incassum adhibitis, sicque sensit per vulnera mortem.

# OBSERVATIO IX.

## Dn. D. Josephi Lanzoni.

## *Cæcitas ex Scabie retropulsa.*

PAupercula quædam puella 13. annorum, correpta fuit quartana, post cujus septimum paroxysmum sponte oborta est scabies universalis in corpore, & nullum amplius quartanæ vestigium apparuit: Ejus mater, ne tota familia scabie fœdaretur, variis unguentis, ex sulphuratis & sublimato, una cum Leandri foliis ac floribus scabiem aufferre tentavit; sic unguentis quater adhibitis, puella oculorum inflammatione primò tentata fuit; ex qua cito aucta suffusio ac cæcitas orta, quæ nunc etiam perdurat, evanescente tamen dolore & inflammatione.

# OBSERVATIO X.

## Dn. D. Josephi Lanzoni.

## *Dolores articulares ex adstricta Diarrhæa.*

QUo natura vergit, eo Medicum ducere convenire, ait Hippocrates, quod ratio & experientia testantur; nam cum pravi humores à natura per alvum secernantur, male eos retardat Medicus ac adstringit, ut ad partes nobiliores deferantur magno vitæ discrimine. Ita accidit Mense Junio Anni 1718. in quodam mercatore Bergomensi, qui diarrhœam passus, post biduum, ab Empirico edoctus, pulvere suberis assumpto, alvi fluxum retardavit, aliisque adstringentibus omnino su-

no sustulit; verum oborti in illo sunt dolores articulares atrocissimi, ita ut nec brachia nec genua, imo nec caput movere potuerit: qui nervorum cruciatus per mensem duraverunt.

## OBSERVATIO XI.

### Dn. D. Jósephi Lanzoni.

### *Tumor verminosus.*

VIr Romandiolus an. 55. temperiei melancholicæ, æstatis tempore valde delectatus venatione, cui supervenit febris tertiana duplex, cum vomitionibus biliosis in principio, ast leviter purgato corpore, melius se habere incepit; undecimâ autem morbi die tumor sub axilla sinistra apparuit, qui ad ovi magnitudinem crescens tandem suppuratus Chirurgi ferrum passus est; quo aperto exivit cum pure mixta non pauca quantitas vermium vivorum exiguorum, mox ulcere cicatrice obducto æger convaluit.

## OBSERVATIO XII.

### Dn. D. Josephi Lanzoni.

### *Insania periodica.*

NUper observavi fœminam annorum 40. quæ absque febre insaniebat in quovis plenilunio, quod spatio duorum dierum durabat; quibus elapsis, iterum mentem recuperabat: nunquam ipsa menstruas vidit purgationes, capillos rubri coloris habet,& sudor ejus fœtet; erysipelati valde obnoxia, morbum hunc modo in cruribus, modo in brachiis patitur, nec mensis integer transit, quod erysipelate non tentetur.

# *OBSERVATIO XIII.*

## Dn. D. Josephi Lanzoni.

## *Dolor inter caput & genua reciprocus.*

SArcinator quidam ætat. an. 39. multis abhinc mensibus dolore capitis vexatur per integrum diem, & quidem bis in mense, & quod notatu dignum est, dolor semper correspondet dolori in genubus, ut crescente primo, hic pariter augeatur, & contra; modo autem incipit à genubus dolor, mox surgit in caput; nunc primo caput invadit, nunc genua; & uno evanescente, evanescit & alter. Ego suspicabar de Celtica lue, verum patiens se nullam nisi conjugem honestissimam cognovisse sancte testatus est; nihilominus tamen, leviter purgato corpore, decoctum sarsaparillæ per mensem exhibui, recta simul instituta victus ratione. Nunc melius se habere incipit, sperans se pristinam recuperaturum sanitatem. Et fœminæ recordor, quæ dolorem auris dextræ patiebatur, cujus semper comes inseparabilis erat dolor calcanei, istique cruciatus maxime ad plures dies infestabant hyemali tempore.

(*Ferrariâ Augustam Vind. d.* 23. *Aug. A.* 1718. *missæ.*)

# *OBSERVATIO XIV.*

## Dn. D. Hieronymi Laubii.

## *Paralyticus ex Carie Cranii & Apostemate Cerebri.*

PEr integrum mensem in Nosocomio Status Maritimi decubuit nauta quidam 50. circiter annorum stipitis instar sine loquela, & motu lateris sinistri, parum comedens & semper fere dormiens, nulla ratione per medicamenta externe æque ac interne adhibita excitandus. In cuius capite post mortem exa-

examinato apparuit Cranium fere totum, inprimis in dextro latere carie profunda exesum, imo pone os temporale dextrum ad cerebrum usque foraminulentum: ipsum vero cerebrum in eodem latere non exiguam puris cocti quantitatem ad ventriculum usque dextrum penetrantem continebat. Reliquas cavitates examinare non licuit.

# *OBSERVATIO XV.*

## Dn. D. Hieronymi Laubii.

## *Ex Lue venerea olim curati, postea febri pectorali demortui Anatome.*

JUvenis lue venerea infectus cum crustosa per totum corpus ac fœda scabie, ope Salivationis Mercurialis feliciter restitutus elapso anni spatio denuo ad Nosocomium remittitur ob febrem continuam asthmate difficili, dolore pectoris, tussi sicca & anxietate præcordiorum junctam, qua tunc laborabat, & adhibitis remediis nil juvatus, spatio 3. hebdomadum vix elapso, extinctus fuit. Cadaver illius apertum monstravit Pulmonis lobum sinistrum dextro ad medietatem minorem atque collapsum: pericardium vero plus quam dimidiam thoracis cavitatem explens & ultra ℔j. sanguinis atri congrumati continens, quo ope spongia absterso cordis substantia lamellis qs. obsita & exesa oculis se sistebat.

Circa divisionem Tracheæ primam Vomicæ adhærenti parti ejus posticæ includebatur Calculus acutus & asper, pisi magnitudine. In Abdomine præter Lienem parvulum & Pancreas induratum nil extraordinarii reperiebatur.

# OBSERVATIO XVI.

## Dn. D. Hieronymi Laubii.

## *In Phthiſici anatone Ren ſiniſter duplex repertus.*

MIlles gregarius, juvenis ex Lalandia Inſula ortus, tuſſi moleſta cum ardoris ſenſu in thorace, aſthmate ac febre continua jam ab aliquo tempore laborans, in Noſodochio militari poſt octiduanum decubitum, demortuus in cadavere ſuo conſpiciendum præbuit Pulmonem, ejusque lobum dextrum inprimis, mediante firmiſſima membrana ubique adnatum & inſtar hepatis cocti durum, pure caſeoſo infarctum & in ſuperiori parte cavitatem pure fluidiori ſed fœtidiſſimo repletam habentem: lobum vero ſiniſtrum etiam hinc inde viciniæ concretum, pus lividum abſcondentem. In Abdomine hepatis ſubſtantia flacceſcens, veſicula fellis omni bile orbata, in latere dextro Renis abſentia veri, licet ſuccenturiatus adeſſet, obſervabantur: in ſiniſtro autem latere Ren ſpithamæ longitudinem æquabat vaſis emulgentibus duplicibus, duplicique uretere inſtructus, quorum ſuperior ad dextram veſicæ urinariæ, inferior ad ſiniſtrum latus abibat: vaſa tamen ſpermatica in utroque latere aderant è truncis vaſorum majorum paulo inferius ſolito egredientia.

(*Hafniâ Auguſtam Vind. d.* 5. *Nov. A.* 1718. *miſſæ.*)

# OBSERVATIO XVII.

## Dn. D. Georgii Dethardingii.

## *Polypus Cordis.*

PRonuper ex ventriculo cordis dextro Militis gregarii, quadraginta circiter annorum, in conflictu transfoſſi, conſpexi Polypum, ſitu ſuo ad orificia declinantem, quem citra omnem violentiam ſuſpenſa manu protrahere potui, pedibus, ceu proceſſus

cessus ita vocant, tribus instructum. Horum alter brevior in ipsam substantiam cordis se demerserat, alter nec adeo oblongus auriculam memorati thalami respiciebat, sed tertius extendebatur in arteriam pulmonalem, longior binis prioribus. Protractum curatius inspexi, coloris erat incarnati, substantiæ corii instar densæ ex fibris sibi appositis compositæ, figuræ irregularis, convexus latere hoc, quo respiciebat ventriculi latus, altero vero quasi concavus; Pondus æquabat unciam semis. Pedunculo, qui salutabat arteriam pulmonalem adhærebant vascula sanguinea connexa, quæ una protracta non ineleganter exprimebant plexum choroideum, si quando hic è Cerebri meditullio eruitur. Miles hic ante conflictum sanus vixerat, modo quod tardiot fuerit in negotiis sibi commissis expediundis.

## SCHOLIUM.

DElineare volui hunc Polypum curate magis, quo si qui sint, qui Kerkringio adhæserint, qui in Observat. Anatom. LXXIII. contendit, Polypos non esse nisi sanguinem post animalium mortem refrigeratum, grumosum & duriorem redditum, eò securius opinionem istam deponant. Non negaverim, nam ipse hæc observavi, reperiri aliquando in defunctis stillas tales, ut ita dixerim sanguinis congelati, quæ externam suam formam oblongam vasorum protensioni debent: ast, quam non hæ distant à vero polypo, robore & densitate solita instructo! In hoc quoque consenserim, primordia Polyporum cordis tribuenda esse sanguinis grumo ex mora fortuito oblata in cavo illius hærenti, sed, quando jam, dum ad ἀκμὴν pervenere, non magis merentur dici sanguis coagulatus, ac quando reliquas corporis partes vellem colliquamentum appellare, quia hoc in ovulo materiam illis præbuit.

Quis insuper sibi persuaserit, corpora adeo compacta & corii instar spissa, sub mortis arriculo fuisse coorta ut statim à morte compareant. Ast, an hi omne punctum ferunt, qui

cretionem hanc fibrosam tribuunt vel præcipitationi à fermento aliquo peregrino, quale fit in peste, febribus malignis? ne quidem auserim à solo lentore aut viscíditate sanguinis Polypos derivare, primæ hypothesi obstat absentia talium concretorum in his, qui ex peste, vel febribus malignis &c. occubuerunt, nec modo adductus miles morbo aliquo fuit detentus; alteri infrequentia Polyporum in Melancholicis & Phlegmaticis. Mitto examinare, quæ alii de Genesi ista afferunt. Ego quidem concluserim Polypos cordis non nisi Fungos cordis esse, modo quod loci respectus, & circumstantiarum hic peculiarium momenta videantur formam fungorum invertere. Originem plane fortuitam lubenter agnosco, in hoc tamen fundatam, quod guttula una vel altera chyli minus adhuc divulsi sanguini infusi in ventriculo cordis hæserit, id quod obtinere tunc vel maxime poterit, si à cibo avidius assumpto motus corporis solito impetuosior, sed subito iterum cessans, suscipiatur; quod si hæ osculo inhæserint, vel quod magis consonum se immerserint, ex quo in ventriculi cavum sanguis profilit, qualia descripta & delineata Verheinius in Anatomia sua sistit, & læsio continui ex frictione illa sub cordis jugi motu accesserit, fit levis exulceratio, ab hac affusio humidorum gelatinosorum, pro consolidanda illa; sed quia nulla hic quies, ex motu illo cordis interrupto, loco consolidationis fit accretio satis luxuriosa, quæ cum à strictura illa cordis pressoria inhibeatur, magis in longum extenditur, & pedes ita format.

# OBSERVATIO XVIII.

## Dn. D. Georgii Dethardingii.

## *Grandines plumbei deglutiti immedicabilis doloris in Ventriculo authores.*

Rusticus juvenis ab elevando ponderosiora conquestus est de damno corpori illato, Er habe sich überhoben; deglutiit ex consilio Patris grandines plumbeos mediæ magnitudinis

nis, hac copia, qua solent bombardæ onerari, Einen Schuß Endten-Hagel / & decurrendo abhinc fuit sanitati restitutus. Hinc alteri Filiorum ex eadem causa lecto affixo idem Parens Evporiston hoc commendat; ast tantum absuit, ut hic inde convaluerit, ut in miserrimum nec satis dolendum statum fuerit redactus. Grandines namque deglutiti non fuere exclusi, sed hærent omnes in ventriculo, & quod ex dolore fixo, cujus sedem æger scite satis digito monstrare potest, concludere est, circa pylorum hærent. Appetitus satis viget, cibosque avide assumit, ast morâ brevi interjectâ gravissimi cruciatus angunt, ut in terram se conjiciat, & volvendo ac revolvendo corpus medelam quærat, sed quam nonnisi vomitus assumptorum semi-subactorum in tantum affert. Quam hic æger fuerit per vomitoria, purgantia drastica ab Empiricis vexatus, citra omne fuit solatium. Efflagitat ergo quam instantissime, ut Chirurgi manu perscinderetur locus, quo grandines hærent, ast, quisni manum de ventriculo sub hepate perforando?

(*Rostochio Augustam Vind. d. 24. Decembr. A. 1718. missæ*)

# OBSERVATIO XIX.

## Dn. D. Maximiliani Preussii.

## *Fœtus uterum disrumpens & post mortem sui & matris in Abdominis hujus Cavo deprehensus.*

N Buhnii, sutoris veteramentarii, uxor parvula, gibba, claudicans, genubus valgis, s. introrsum flexis & pedibus divaricatis, s. extrorsum spectantibus, postquam ante aliquot annos Fœtum mortuum difficillimis conatibus pepererat, secundum hactenus gravida, sub finem noni mensis summo mane mediâ horâ secundâ diei 14. Octobris, A. C. 1718. non exiguo cum dolore membranarum Fœtus sentit ruptarum cum aquarum & sanguinis hinc profusione & effluxu; unde Obste-

tricem vocari jubet, quæ haud diu poſt accedens funiculi umbilicalis adhuc pulſantis, unà cum ſecundina in orificium uteri internum ingreſſum obſervat, nullis tamen conatibus & doloribus parturiendi amplius inſequentibus; quibus proin diu fruſtrà exſpectatis, horâ ſecundâ pomeridiana d. 15. Menſis prædicti, viribus ſucceſſivè magis magísque fatiſcentibus, miſera hæc parturiens placidè tandem exſpirat. Hoc facto Obſtetrix ejus ordinaria Maria Eliſabetha Beckia, unà cum aliis quibusdam Obſtetricibus ſollicitè à me petunt, ut per Ehrenfridum Fellnerum, Chirugorum Seniorem & Civitatis noſtræ Ordinarium, cultro anatomico curarem aperiri corpus demortuæ Parturientis hujus infeliciſſimæ, ipſísque in exanimatâ hâc demonſtrarem ſitum in utero Fœtûs cum impedimento hujusce Patrtûs, partibúsque ſimul genitalibus mulierum.

Quod ipſum earum petitum prompti hinc explevimus, in ſocietatem mutui laboris diſſecandi a prædicto Fellnero ſimul vocato, Chirurgo pariter noſtro, Johanne Georgio Kotzdeé. Ante omnia proinde oculis prius luſtravimus abdomen parturientis extinctæ, & deprehendimus illud enormiter magnum & ſecundum omnes dimenſiones extenſum, durum inſuper, difforme, inæquale & figuræ triangularis quaſi, ita, ut partes Fœtûs externas, immediatè ſub integumentis infimi ventris deliteſcentes tangere & diſcernere tantum non liceret, tanquam ſigna Fœtûs extra uterum ruptum jam ſiti & locati, inprimis ſi ſub conatibus parturiendi, hi ſubitò ſ. ex improviſo ceſſent penitus, nec amplius redeant in matre t. t. viribus aliàs adhuc valente. Hâc contemplatione finitâ, per Crucem cultro diſſociavimus abdominis cutem, pinguedinem, muſculos & peritonæum, cuncta valdè attenuata, puellúmque naſcendum jam extinctum, àque mole ejus magna inteſtinis in circumferentia hujus retrorſum adactis, in dextro abdominis latere & illius cavitate extra uterum deprehendimus, oſſibus pubis ibidem capite incurvato aliquomodo, firmiter innitentem ac infixum & circa collum funiculo umbilicali cin-

ctum

ctum & strangulatum quasi; funiculus autem prædictus unà cum secundinis aliquatenus jam fœtentibus orificio uteri interno, à quo fundus uteri abruptus erat, inhærebat, manibus pedibúsque una cum reliquo corporis infantilis trunco sursum usque ad Hypochondrium matris dextrum magis porrectis, cujus è regione in sinistro abdominis latere fundus uteri concavus & aliquomodo corrugatus, à capite Fœtus, ossibus pubis firmiter innixo, & pedibus sursum calcitrantibus, violenter nimis extensis, procul dubio avulsus, mitræ sive cucuphæ cujusdam instar, intra plicas intestinorum, locatus cernebatur, substantiæ admodum spongiosæ, tres fermè digitos crassæ, & agglutinato in cavitate sua multo sanguine gelatinoso, fœtidóque ac semiputrido jam, refertæ, utut de cætero, quantum deprehendere licuit, parum sanguinis in, vel extra abdomen & vaginam uteri effluxerit.

Parallela huic aliquomodò & rariora exempla uteri à Fœtibus disrupti, cui libet, legere licet in Guil. Fabricii Hildani Cent. I. Obs. 64. & Cent. 4. Obs. 57. nec non Henr. Eyssonii Dissert. de Fœtu lapidefacto, Mussipontano scilicet, Gröningæ Typ. Joh. Draper Typogr. A. 1661. in duodec. editâ, inprimis p. 3. 6. 18. 25. 44. 51. &c.

(*Vratislaviâ Augustam Vind. d. 28. Decembr. A.* 1718. *missa.*)

# OBSERVATIO XX.

## Dn. D. Hermanni Werneri Engelberti de Westhoven.

## *De calculis in abdominis musculo oblique descendente generatis.*

LEctissima, virtutibusque sequiorem, ut Apuleji l. 10. p. 249. phrasi utar, sexum ornantibus florentissima virgo Gertrudis Fornhotz, annorum 53. conquerebatur haud ita pridem, se ante

ante duos annos fere Lippiæ graviter cecidiſſe, & abdomen ad angulum ſcalæ offendiſſe. Nihil autem incommodi inde ſenſit, niſi quod ſæpe poſt prandium, ac cœnam male affecta fuerit. Interim vix anno circumacto exiguos in abdomine percepit dolores, quos tamen, quum parvi nec continui eſſent, flocci habuit. Senſim in hypogaſtrio dextrorſum, quatuor circiter digitos infra umbilicum, levis ſine ulla inflammatione apparebat tumor dimidiæ nucis baſilicæ magnitudinem repræſentans, ac inſolitos aliquos punctoriosque ad ultimum cruciatus afferens. Hoc igitur decenter examinato & lanceola pertuſo flavus emanabat ἰχώρ cujus quantitate dactylion impleri poterat, tactuque durities in muſculo oblique deſcendente obſervabatur rotunda palmæ unius latitudine, ac diebus quinto, ſexto, ſeptimo atque octavo lapides prodierunt ſexaginta quatuor incluſæ magnitudidnis & coloris. Vulnere tandem, lege artis, probe deligato, virgo plane convaluit, & adhuc valet pancratice.

(*Hammonâ Auguſtam Vind. d. 1. Januar. A.* 1719. *miſſa.*)

## SCHOLIUM.

QUi ab Exc. D. Authore ad Præſidem Acad. miſſi fuerunt calculi, teſſellatæ ſunt figuræ, ad magnitudinem teſſerarum Helvet. Badenſium fere accedentes, flaveſcentis coloris, nullius ſaporis, non admodum duri, ex tribus lamellis concreti, atque in meditullio duo punctula nigricantia, ſupra quæ concretio facta eſſe videtur, continentia. Corpuſcula illa nigricantia fortaſſe ex globulis ſanguinis ortum ducunt, reliquo concremento ex lympha ſtagnante & particulis bilioſis, à caſu, ob viciniam veſiculæ felleæ, tincta, prognato, ſed quomodo modulus ad efformandam illam quadratam figuram ſe habuit?

Vid. Tab. VI.

(*Schröckius.*)

*OBSER-*

# OBSERVATIO XXI.

## Dn. Lic. Chriſtiani Gotthardi Wiliſchii.

## *De Calculo per alvum excreto.*

CIvis cujusdam honeſti uxor nomine Ziegenbalgia, ſeptuagenaria, ſæpius arthritide & dolore nephritico infeſtatur, quæ tamen per integrum fere annum optime valuit. Jam vero ante aliquot ſeptimanas denuò conqueri incipit de inſigni abdominis dolore gravativo, alvi obſtructione, vomitu & magnis inteſtinorum torminibus. Hæc intenſis admodum cruciatibus miſere conflictata meam implorat opem. Inquiro in cauſam, an de obſtructione alvi & fecibus induratis, an de paſſione hyſterica, an vero de Calculo quodam latitante iſtos atrociſſimos experiatur dolores? Ad profliganda itaque ſymptomata, clyſterem ex emollientibus, carminativis & blande laxantibus ad alvum aperiendam, & Linimentum ex oleis expreſſis & deſtillatis, carminativis, antiſpaſmodicis, emollientibus & anodynis, abdomini illinendum, ad dolores mitigandos præſcribo, interne vero pulverem antiſpaſmodicum, ex ciñ. nat. Conch. lap. ♋ præp. Succin. ♀ ⊖ lat. Caſtor. & Mixturam ex Eſſ. Caſtor. chamom. cort. aur. Succin. & anod. poſtquam alvus erat aperta, cum ℞. ♀ propinari ſuadeo. His adſumptis dolores quidem remittere videbantur, at enim brevi poſt eorum ſequebantur exacerbationes. Hoc dum mecum reputo, Clyſterem iterum oleoſum & ſpecies pro balneo artificiali præparari jubeo, clyſtere iterum injecto, calculus in inteſtinum rectum, magnitudinem ovi gallinacei ſuperans prorumpebat, cujus exitum, anguſtia orificii ani impediebat. Ægra, curarum plena, obſtetricem noctu accerſere jubet, quæ attritu digitorum, calculum eſſe friabilem ſentit, quoniam duos inſtar oculorum cancri extrahebat lapillos. Hinc eundem ſuaſu meo forcipe prehenſum & fractum, divaricatis ægræ pedi-

bus, ſtando feliciter extraxit Chirurgus, auxiliante obſtetrice, quæ manum in uteri vaginam immittebat, ut regreſſus calculi impediretur, cujus exterior facies flava, interior vero cryſtallina eſt. Sic adjuvante DEO, à ſaxea hac mole liberata eſt ægra, poſtquam tertio die poſt, unum adhuc inſtar nucis avellanæ excrevit calculum; nunc vero ex voto optime valet. Calculos diverſa habere loca natalia, exempla à Clariſſ. Medicis digeſta ſatis comprobant, & facile fieri poteſt, cùm in diverſis viſcerum ductibus excretoriis, particulæ Calculum conſtituentes, reſtitent ſæpius & concreſcant, etſi in renibus & veſica ſigillatim germinent, propterea quod ſerum ſanguinis urinoſum, copioſis hujusmodi particulis imbutum, in renibus uberius, quam in aliis excretoriis transcolatur. Sic lapides in Cerebro fuiſſe inventos referunt Ephemer. Germ. A. 1. Dec. 2. Obſ. 131. Sub lingua ad fabæ minoris magnitudinem accedentes vidit calculos Hagendornius, Cent. 1. Obſerv. Phyſ. Med. 71. In Corde 14 granorum Kerkringius Spicileg. anatomic. Obſerv. 78. annotavit. In Pulmonibus, à phthiſica rejectos Hagendornius Cent. 1. Obſerv. 94. teſtatur. Ipſe quoque calculos à quodam Jurium Candidato per Tuſſim ſæpiſſime fuiſſe rejectos, ſum teſtis. In ventriculo calculos obſervavit Lanzonus in Schol. ad H. à Moinichen Obſerv. Med. Chirurg. 10. Lapides veſicæ felleæ ante oculos ponit Exc. Brendelius Diſſertat. de Lapicidina microcoſmica. In Liene obſervavit Veſalius Libr. V. Corp. humani fabric. In Umbilico Hagendornius Cent. 2. Obſerv. 9. In Inguine Platerus Tom. III. Lib. 2. p. 964. Calculum per ſcrotum excretum vidit Carolus Raygerus in Boneti Medicin. ſeptentrion. L. III. T. 1. p. 787. Lapidem per alvum excretum unciæ unius duarumque drachmarum pondus æquantem, poſſidet Ill. Schröckius vid. Eph. noſtr. Dec. I. A. 9. Obſ. 90. Tandem magnitudinem calculi noſtri cum Marcello Donato admiramur, qui ſcribam quendam, dolore colico correptum,

per

per alvum excrevisse calculum ovo anserino majorem, annotavit Hist. Med. mirab. Lib. IV. Cap. 30.

# *OBSERVATIO XXII.*

## Dn. Lic. Christiani Gotthardi Wilischii.

## *De variis, ex nimio Sudoriferi usu Symptomatibus.*

RUsticus quidam, annos triginta natus, à Pharmacopoeo in vicino quodam Oppidulo medicamentum sibi expetens sudoriferum, spiritus salis ammoniaci drachmam unam pro dosi in vino sumendam accipit. Hoc medicamento utitur rusticus: Sudore vero haud subsequente, ab uxore alteram procurari dosin jubet. Hæc vicinum adit, qui spiritum bezoardicum B. habet venalem, à quo drachmas duas circiter spiritus hujus accipit, adsumto & hoc, nullus extorqueri sudor potuit. Hic Patiens, impatiensque frustranei medicamenti effectus, naturæ robur accusat, dicens: **Er habe eine starcke Natur/ es wäre noch zu wenig/ was er eingenommen/ die Frau müste ihm noch etwas nachgeben.** Hæc stupida admodum jussu mariti iterum affert dosin modo dictam spiritus bezoardici, eamque etiam marito pro haustu propinat. Quo facto graviter conqueritur de insigni præcordiorum anxietate, siti, ex summo ventriculi intestinorumque calore, clamans: **Es wolle ihm das Hertze abdrucken/ und alles im Leibe verbrennen.** Horis deinde aliquot elapsis magnam sanguinis incipit evomere portionem, quam dejectiones alvi cruentæ sequuntur. Æger itaque vitæ periculum metuens, implorat auxilium, cui hæc præscripsi medicamenta: ℞. ▽. fl. Til. Scabios. C. B. fl. Sambuc. Scorzon. āā ℥j. Cinamom. borrag. ⚹ āā ʒß. lap. ♋ ppt. Corall. r. præp. āā ʒj. ♁. diaph. ℈ij. Sang drac. ⦶ ♁ iat. Mand. luc. pisc. Bez. min. cinn. nat. āā ʒß. Syrup. myrt. papav. rh. āā q. s. Hanc

 potio-

potionem adſumſit cochleatim, interpoſito pulvere ex modo dictis ſpecificis. Gelatinam itidem CC. & Ebor. cum potu ordinario haurire juſſi. His medicamentis, iteratis vicibus uſus, optime DEO adjuvante convaluit, & cautius mercari didicit æger. Nil etenim prodeſt, quod non & lædere poſſit.

*(Pirnâ Auguſtam Vind. d. 2. Jan. A. 1719. miſſæ.)*

# OBSERVATIO XXIII.

## Dn. D. Sylveſtri Samuelis Anhornii de Hartwiſs.

## *Energuménos viſus.*

MIſerrimo & quo vix tetrior ullus affectu affligebatur Juvenis 26. annorum, Joachim Schirmer, honeſtis Parentibus honeſtè educatus, at cui id vitii à pueritiæ annis familiare fuit, quòd mendaciis aſſueverit, & idcircò caſtigationem in Scholis crebrius tulerit. Opificio ſutorio addictus, magiſtrum nactus eſt durum, ex quo fulmina magis & execrationes, quàm ſerias adhortationes & pias preces audivit. Sic ad exteros profectus, panem lucrari nullibi locorum diu potuit. Tandem militiæ ſe dedit & Religionem mutavit. Patriæ poſt trium annorum decurſum repetendæ causâ auffugiens, in via publica ditionis Tigurinæ ſcripta ſua convoluta è fundo elapſa perdidit: huc iter faciens Mercator urbis noſtræ ex primariis, perſpectum faſciculum ſervo ſuo tollendum imperavit: recluſo illo reperiit teſtimonia plura, & quæ ex Patria ſecum tulit Schirmerus, & quæ addita fuerunt Religionis mutatæ documenta. Domi dum hominem nemo noviſſe vellet, tradita hæc ſunt Eccleſiæ Miniſtro, cujus manu unum ex teſtimoniis exaratum erat: vocatus & facti admonitus, abjurationem pervicaciſſimè negavit tamdiu, donec oſtentato teſtimonio convictus, rem fateri cogeretur, pœnitentiâ & verbis & vitâ conteſtata,

testatâ, seriâ cum exhortatione dimissus est. Biennio post, res angusta domi ad militiam denuò sectandam eum compulit: miles mercenarius serviit per triennium sub Colonello Diesbach. Anno 1713. die 20. August. verè miserabilis domum rediit, animo & corpore afflictissimus, tabe propè consumtus, vix pedem domo efferre valens, & insuper auxilii, amicorum, & omnium rerum inops. In Nosodochium jussu Magistratûs receptus, sumptibus publicis sustentatus, & mihi Poliatro curandus traditus est: in examine de sua invaletudine instituto, præcipuè ad dolorem ex stranguria medelam rogavit: cujus farinæ Symptoma id fuerit, bubones in inguine, exostoses, dolores capitis & artuum indicabant. Haustu terebinthinato repetitâ vice exhibito, per Pillulas ex ☿ dulc. & Cinnabar. ℥ ij cum resina gunjaci paratas, & ex decocto lignorum haustas, virus ♀reum impugnatum, & salivatione debitè succedente, sic tandem expugnatum est, ut pleraque mala, præter tumorem sub axilla sinistra ad suppurationem ægrius tendentem, evanescerent, quartâ salivationis hebdomadâ, dum salivæ rivulus diminueretur, à domesticis observatus est, & insolitè animo perturbari, & quandoque trunci adinstar fixis oculis decumbere, & nec acclamatum nec vellicatum sensuum indicia præbere. Expergiscentem tandem actorum se inscium dicere.

Ex particulis ☿bus generi nervoso hostilibus, id quicquid deliquii fuerit produci, rem indubiam habui. Tentatum est ♀ro emet. jurato ☿rij hoste, & dein ♁. diaph. cum cryſtall. mont. m. & v. exhibito, virus si quod residuum profundius generi nervoso impactum esset, & corrigere & expellere, at malum indies pejore subsequente auctum est: morosus, difficilis, impatiens evasit. Chirurgi operam in deligando tumore pectoris magnam partem occupante & suppurato, execrando respuit: ulceribus oris ut prospiceretur prohibuit, à precibus ubicunque potuit se subduxit, & ipse orare clarâ voce noluit. Paroxysmus ecstaticus, si non mane, circa meri-

 diem

diem & nocte ingruente redire consuevit: ex eodem restitutus moestum se gessit & anxium: de hoc aliquando severius interrogatus respondit, se cum Diabolo in pugna constitutum fuisse: peccatorem se inexpiabilem & satanæ mancipium esse, totamq; vitæ anteactæ historiam sequente relatione exposuit. Anno 1710. à Dn. Colonello Diesbach se primùm ad præsidium urbis Cremonæ in Italia sitæ deductum esse, ibidem dum sorte sibi assignarentur excubiæ in munimento quodam suburbino faciendæ, inculcatum sibi cæterisq; commilitonibus esse, (ut fabulam narrem vereor) ad hanc stationem horâ noctis undecimâ spectrum accedere, quod solenni formulâ acclamatum, datâ responsione se appropinquans excubitor, ejusdem arma petere soleat, vices excubiarum agere & horâ duodecimâ redeunte ordinario excubitori & reddere sibi tradita & ex statione recedere, quod si quis arma spectro concredere renuat, vel horâ præcisè duodecimâ ad repetendum excubias non redeat, illicò in fossam subjacentem dejectum iri: hoc sibi non sine extrema animi consternatione pluries contigisse, audaculorum plures, qui se vel tentari vel decipi dicerent, & petenti munimina spectro resisterent, in fossam non sine vitæ periculo præcipites factos esse. Exhinc sibi natam terroris idæam usque animo inhæsisse, anxium evasisse, & in tenebris levi de causa exhorruisse. Paviam hinc castra ponentes, se pluresque alios febre intermittente correptos & multùm extenuatos esse. Ex Italia ad Rheni urbes Coloniam & Bonnam præsidio missos, se Bonnæ apostatam innotuisse, tentatum ad revertendum variè, refractarium verò deprehensum, diris & execrationibus dimissum additâ comminatione, se diabolum ubique sibi pedissequum habiturum esse: exauctoratum eodem tempore & abiturientem, ab apposito ex lentibus obsonio se largiùs pastum, quasi maniacum factum esse, & vinculis coerceri debuisse; eructatâ vehementi conatu, corrupti phlegmatis simul cum obsonio saburrâ, mentem

recu-

recuperâsse; vertiginosum abhinc & quasi ex magno morbo languentem, cum sociis patriam repetiturum discessisse. In campo proximè urbem Hanoviam sito, & viâ & inediâ fessum, sub arbore requievisse; cæteros stipem petituros in urbem intrâsse, dormiturientem à viro Carbonarii habitu sibi adstante severius his verbis compellatum esse: Tu miserrime quem omnia mala premunt, memento quoties juratam fidem dederis, te hoc vel illud minus facturum esse, fecisti nihilominus, & sic ex compacto te mihi dedidisti! Tuum jam est ut profitearis & obstringas te præceptis meis obtemperaturum, preces non amplius facturum, nec quodcunque fuerit templum frequentaturum esse. Hoc si præstiteris, virum te reddam locupletem & ubique felicem, sin promissis non steteris, sic excruciabo, ut miseriæ tuæ finem non videas: metu & terrore vel exanimatum se petito annuisse; verùm insuper virum petiisse, fidem verbis fieri tradito nomine sanguine suo signato. Vix ac dato responso, se nec sanguine nec ad scribendum requisitis instructum esse, sanguinem ubertim è naribus stillâsse, sibique cum charta calamum sanguine ebrium oblatum esse: id verò dum exsequi cum prætextu suæ in scribendo imperitiæ, nuncupato DEI nomine recusaret, mox virum minitante terribili vultu, suâ sinistrâ arreptâ & violenter compressâ disparuisse. Sic animo & corpore ægrum, lento trahentem vestigia gressu, urbem petiisse, stipem ostiatim quæsivisse, & cum reperto sodalitio suo pernoctâsse; manûs brachiique dolorem circumvoluto indusio in tantum mitigatum esse, ut discedere postero die quomodocunque valeret; notam brachii tumentis cum pectoris parte exulcerati, hucusque superstitem existere & omnem Chirurgi operam eludere.

Rem sic verè gestam esse constanter asseverabat, simul se anxium exhibuit, quasi gravis hâc nocte cum viro hoc lucta, propter factam confessionem sustinenda sibi incumberet, & en! inter sacras exhortationes ad DEI auxilium contra Satanæ technas devotè implorandum, mox rubore facies perfusa

fuſa eſt, auditi ſunt ructus & paroxyſmus cataleptico-convulſivus præſtò adfuit, exhinc ſuſpicio nata eſt, phænomena hæc ſphæram morbi excedentia, ceu ludibria Cacodæmonis, animæ magis quàm corporis medelam expoſcere. Pondus ſuſpicioni addidit, quòd magis magisque à precibus abhorreret, admonitiones nauci faceret, nuncupari audito Salvatoris noſtri JESU Chriſti nomine exhorreſceret, rubore ſuffunderetur, ructus porci adinſtar emitteret, tandem omni ſenſu privatus corrueret, mox convulſionibus agitarerur tam diu, donec precum finis fieret. Id inſuper prodigioſum maximè fuit, quòd quicquid ciborum vel potûs cum ſolemni benedictionis formula aſſumeret, id mox vel vomitu vel ſeceſſu rejectum eſſe.

Sic actâ tantiſper Tragœdiâ non defuêre loci Paſtores tantò ardentius hæc Satanæ ludibria impugnare, periclitanti animæ piis ſuppetiis conſulere, & utcunque ringentis mali dæmonis aſtum indefeſſis precibus ſuperare. Notatum à domeſticis eſt, quòd miſer adventum cujusque V. D. Miniſtri, ſimul ac ædes intraret, anxiâ mente indicaret, & trementibus membris introitum exſpectaret; id obſervavi pluries, quoties ego vel alius quispiam accederet ſolemni formulâ ipſum ſalutans, quòd vix ac nuncupato DEI nomine, rubor per genas & faciem exſurgeret, & ille gratias agens DEI nomine nunquam uſus ſit. Sermo quamdiu vel ſimpliciter in ſtatum ſuum inquirendo, vel de rebus anteactis & alius cujuscunque tenoris haberetur, prudenter & ſcitè non ſolum ad ſingula quæſtionis puncta reſpondiſſe, ſed etiam pro alendo colloquio materiam ſuggeſſiſſe: Simul verò ac mentio fieret miſerabilis ſui, medicinâ ſpirituali ad reſiſtendum malis tentationibus, maximè indigentis ſtatûs, faciei ruborem ſenſim invaluiſſe, oculis micâſſe, capite contremuiſſe, & ructus ſonoros porci adinſtar emiſſiſſe, materiâ diſcurſus mutatâ, & alia quacunque de re inſtituta, præcipitis paroxysmi inſultum inhibitum eſſe; continuatâ verò illatæ DEI manu afflictionis mentione, in flammam protinus erupiſſe, non præſentiſſimis antiſpasmaticis in- & ex-

ternis

ternis coërcibilem, & nunc mitius nunc atrocius desævientem, prout sacræ exhortationes & preces, magis vel minus severè adhiberentur.

Stupendæ hujus & nuspiam ex contumacissimo Atheo vel sceleratissimo Satanæ mancipio auditæ rei causâ altius pensitatâ, à Rev. Ministerio constitutum est, vicibus alternis piâ adhortatione, seriâ prece & aliis functionibus sacris non deserere Patientem, quàm prius confusâ & superatâ Myriotechnitis nequitiâ. Spem felicis successus expletum iri, animum addidêre ipsius Patientis contestata desideria, ab his Satanæ vinculis liberari, & cum DEO in gratiam restitui. Non verò semitam aliquamdiu tritam ultrà terere ratum erat; nam quò preces ardentius fierent, hoc paroxysmus impetuosior fuit, à prima luce ad seram vesperam exacerbatâ vehementiâ protractus, nec nisi cum precibus abruptis abrumpens. Sic nempe furor tandem invaluit, præcipuè ex hymnorum cantu, ut non fuerit qui sine stupore se spectatorem præberet. Ex cataleptica membrorum rigiditate spiritus parumper attoniti, subito in motus explosivos prosiliêre, totamque corporis machinam modo vix explicabili exercuêre. Hoc durante agonismate contra ferventes zelo Pastores dentibus frendebat, ringebat, oculis minitantibus fixis prospexit, linguam ad extremos fines exseruit, canis adinstar allatravit, conspuit, manibus ferire & unguibus in illos involare contendit. Pectus aliquando pugnis quâ vi valuit percutiens in verba desperationis plena erupit: Deo & cœlo omnimodè renuntiantia, & totum seSatanæ devoventia: aliud raptu durante ex ipso verbum, per morbi decursum auditum non est: id insuper visu admirandum fuit, quòd catenis manibus pedibúsqne arctè constrictus, utcunque stupendis motibus convulsivis agitaretur, nullius tamen vel superficiariæ cutis læsionis stigma monstrarit, catenis hac ex causa alligari debuit, eò quòd nec numerus fortissimorum virorum, sævientem coërcere valeret, auffugit aliquando, è manibus custodis se proripiens, & ex hypocausto elapsus per

ſcalam uno ſaltu proſiliit, eáque violentiâ caput ad muri parietem alliſit, ut ad tergum proſtratus, ne minimâ labe acceptâ ſe denuò in pedes conferret; haud improbabili augurio, mali genii illuſione ad clientem in ſua poteſtate retinendum, hoc quicquid monſtroſi accidit, effectum eſſe. Fovit ſuſpicionis cauſam, quòd utcunque terribiliter toto die, vel ſine momenti induciis convulſus ſit, & ne guttâ cibi vel potûs refocillari potuerit, ex paroxysmis tamen alacris ſurrexerit, expeditè uti ſanus conſuevit, loquutus ſit, & ne minimum delaſſationis ſignum de ſe præbuerit: actorum ſe neſcium ſeriò faſſus eſt: id agonismate finito pepetuo ore edixit, ſe cum diabolo in pugna conſtitutum, malè tractatum, aliquando ut pactum cum ipſo reſtauraret coactum fuiſſe, interdum vero ſe omnes ejusdem conatus eluctatum eſſe: conſueviſſe hactenus diebus ☿rii & ♄ni, circa mediam noctem carbonarii formâ & veſtitu apparere, & dum fidem datam violârit, ipſum omni torturæ genere affligere, donec de novo ſponſionis ſecuritatem jurejurando extorſerit, quòd nempe admonitiones D D. Paſtorum nauci facturus, preces deteſtaturus, & ſacri non quidquam exercitaturus ſit. Præteritâ nocte ſe auxilium domeſticorum pleno ore & multis precibus contra vim ſibi intentatam ſollicitâſſe, à nemine tamen ſuppetias ferente, hoc pejus minis & verberibus exceptum, utque fidem obedientiæ renovaret coactum fuiſſe: auditi domeſtici qui excubitorum vices agerent, nihil ſe animadvertiſſe teſtati ſunt, ac inquietam pro more ſuo corporis jactitationem, & anxia ſuſpiria.

Cōmonitus hinc ut falſam conceptæ opinionis ideam deſereret, & ſupplici prece ad DEI miſericordis gratiam & auxilium confugeret, & ille animum à monitis haud alienum teſtatus eſſet, ſtatim quaſi ſtrangulari, & paroxysmo ſuo abripi viſus eſt: ex ecſtaſi ſibi redditus rogavit ut animæ ſuæ quantis licet viribus conſulatur: comminatos ſibi eſſe ut fœdifrago exquiſitiſſimos cruciatus proximâ ☿rii nocte ſuſtinendos, ſi denuo pacta violârit: cavit nihilominus ſibi, ne DEI vel ſanctiſ-

ſimi

ſimi Salvatoris noſtri nomen ullâ ſermonis ſerie nuncuparet: ad recitandam orationem Dominicam compulſus, primam & ultimam petitionem vix, idque tremulâ linguâ expreſſit.

☿ rii nocte, quam trepidans exſpectavit, excubitores conſtituti ſunt, quos juſſus eſt à carbonario tentatus auxilio ſibi vocare, ipſis verò injunctum ut tacitis precibus & lectione ſacrorum tempus tranſigentes, ſingulos patientis motus obſervent, ipſúmque in graviore lucta conſtitutum è ſomno excitare contendant. Conſumpta nox eſt ſomno ut ſemper conſuevit interrupto, capitis in varium ſitum jactitatione, anhelatione, anxiis ſuſpiriis, cum cataleptica rigiditate, at ſine notabili motu convulſivo reciprocantibus.

Manè multis ingemuit quærelis quàm horribiliter ab horribili ſuo hoſte tractatus, arreptis capillis è lecto extractus, verberibus inclementer exceptus, manu faucibus preſſis ſtrangulatus, & ſic ſuffocandum propediem, comminatum ſibi eſſe, quamprimum à via dictata denuò deflecteret. Se multo clamore & precibus cuſtodes ad ferendum ſibi ſuppetias rogâſſe, verùm à profugis nihil auxilii impetrâſſe.

Ut denuntiatum ipſi eſt, quam clarè jam & manifeſtè falſiſſimæ opinionis error illuxerit, & infallibili documento pateat, non niſi inania phantaſmata quæ retulit eſſe, falſaſque & mendaces confuſi & perturbati animi ideas, à malo ſpiritu ſine dubio ſuggeſtas, & in faciem conſtituti excubitores, rem ut acta eſt, enarrarent, anxius quidem totus, dictis viſus eſt aures præbere. Ad DEum igitur ut revertatur, quem falſis Satanæ ſimulacris deceptus, impiè deſeruiſſe convictum ſe videat, ejuſdem tentationibus totis viribus reſiſtat, & ſpernere magis quàm timere ſtructas ſibi inſidias annitatur, blandiſſimè commonitus, priſtinam tragœdiæ ſcenam, præviis ructibus nidoroſis exhibuit: vomitus non minus ac ſeceſſus ut hactenus paſſus eſt, quamprimùm DEI nomine quicquam ingereret, aut benedictionis Vatum quacunque de re acciperet.

Satius ſic duximus fore, currenti cedere furori tantiſper, donec profundius menti defixa idea, vel ſponte paulatim evaneſceret, vel ob oculos ſubinde poſito errore extingui poſſit, & ſibi ſanius ratiocinium ſenſim reſtituat. Hinc preces non niſi matutinæ & veſpertinæ atque pro menſa ſolemnes, ipſo præſente factæ ſunt, nec alium de ſuo ſtatu ſermonem fieri curavimus, quàm quo greſſibus tacitis convinci poterat ut crederet, hoc quicquid ab ovo ſecum accidit, mera phantasmata fuiſſe, & falſæ imaginationis terriculamenta, quæ à putato ſpectro Cremonenſi, & indicta maledictione Bonnenſi ſua infauſta primordia traxerint: hinc omnem ſpirituum ἀπαξίαν eſſe, & tetrum illud ſpectri ſimulacrum & quæ cum ipſo in campo Hanovienſi per inſomnium actitata fuerint, menti hucusque obverſantia, nullis hactenus mediis exſtirpari potuiſſe. Non ſpem fefellit ſucceſſus; cum hac mentis, adhibitâ ſimul corporis curâ, haud operam ludi, prima initia monſtrârunt. In hac quidem univerſali fibrarum ſtomachi & inteſtinorum atonia, dum validum evacuans tentari haud licuiſſet, bolus rhabarbarinus cum theriaca confectus vice repetita exhibitus eſt, unde adſtrictior alvus evaſit. Hinc mane & veſperi hauſtum ſumſit ſeq. infuſi. Rec. Rad. caryophyllat. ℥j. Valerian. ℥ß. fol. card. ben. flor. centaur. min. āā Ms. Cinamom. ʒiij. Nuc. moſch. ʒij. Macis ʒj. Limat. ♂ ℥j. Inciſ. & nodulo incluſis affund. vin. opt. ℔iiij. tulit hoc & ſingula ingeſta melius, modò non ad recitandas preces ſollicitaretur. Aſſuevit ſenſim verba fieri & colloquio aures præbere de fraudibus Satanæ & laqueis quibus irretire inenarrabili aſtutia, etiam dilectos DEI filios quandoque attentet. Ecſtaſis quidem cataleptica per ſuos paroxysmos, circa meridiem, veſperam & mediam noctem plerumque obſervata, non minus ipſum afflixit, ex quibus ejusdem tenoris tentationes ſuſtinuiſſe faſſus eſt. At motus convulſivi minimè ut olim enormes conſecuti ſunt.

Inſtante Feſto Nativitatis Chriſti, clamantium peccatorum ſuorum admonitus, ad veram pœnitentiam & ſeriam de-

precationem adhortatus, admonitionis haud impatiens, diutius eam tulit, at tandem paroxysmo cum ructibus abreptus, ut olim furere perstitit, quamdiu preces & sacra cum illo peragerentur.

Dum autem succorum gastricorum summam corruptionem ructus perpetim & sedes gravissimè olentes indicarent, valido illos everrere Catarctico constitui, ipso Nativitatis Christi Festo datus est haustus ex Infus. laxativo Man. ℥ij. & Syrup. emet. ℥ß. effectus fuit medicamento longè validior; horribilis quantitate & qualitate materia ad seram usque vesperam *ἄνω* & *κάτω* excreta est, fœtoris turpissimæ sentinæ gravioris, unde singuli opem sibi ferentes, vel modò conclave intrantes ad stomachum exonerandum commoti sunt: hâc tandem evacuatione sic vires attritæ sunt, quasi omnis ex totidem paroxysmis in hunc terminum unâ irrueret debilitas, se nescio excrementa profluerent, frigus membra occuparet, & ex pulsu vix perceptibili extrema imminere viderentur, vel alto somno per biduum sepultus, vires tandem & animum recepit, & en! totus mutatus à pristino, preces serio audivit, ipse sacra devotus peregit, lectione librorum sacrorum tempus trivit, exhortationes & consolationes lubens admisit, Rev. DD. Pastorum correctiones bene tulit, & ne ipsum desererent, instanter rogavit. Ecstatici interim vel convulsivi nihil rediit: ad vacandum opificio suo, dum vires denuò sufficerent, nullus fuit Magistrorum, qui illum in ædes suas recipere non extimuit. Sic tandem uxorem duxit, & jam usque vitam degit ut solent quibus res est angusta domi: pium, honestum & laboriosum se gerit, in peragendis sacris tam publicis quàm privatis diligentem & devotum se præstat, & affectûs sui reliquias non alias commonstrat, quàm quòd appropinquantibus diebus Festis animo insolite perturbari soleat, & nocte ingruente vel pedem portâ efferre solus non audeat.

Εξήγησις.

Catalepticum hunc verè ἐνεργύμενον Cacodæmone primariò operante ſingula hæc perpetrâſſe, fuerunt ex Viris Primariis utriusque ordinis, qui id vel in dubium vocantibus probro dare haud veriti ſunt: tantum valet apud plures ſuperſtitio, ut quæ phœnomena ultra ſphæram ſui captûs evecta, ingenio ſuo aſſequi non poſſunt, ſatanæ viribus attribuant. Medicus verò Chriſtianus, ut pulchrè pro more ſuo diſſerit Celeber. Lentilius in Miſcellan. p. m. 250. quàm diu cauſas rei cujusdam mente concipere poteſt, aut certè morbi phænomena ſunt talia, quæ naturæ circum non evidentiſſimè tranſcendunt, ſatanæ malo tantum potentiæ nunquam adſerit.

Morbus ſine dubio primordia ſua debuit conſternationi ac metui ab excubiis in munimento Cremonenſi, quas ſpectro à ſe pluries concredendas fuiſſe dicit, unde prima terroris veſtigia mens usque retinuit Firmata pavoris idea & profundius in animo defixa eſt, dum ſe Diris & Furiis devoveri audivit ex quo animæ ſolatium exſpectabat. In rabiem tandem efferatus & omni rationis uſu privatus ex obſonii è lentibus confecti eſu, mentis non ante compos redditus eſt, ac dum idem largo vomitu excluſum eſſet, inſuper perennantes animi anguſtias foviſſe potuerunt malæ conſcientiæ ſtimuli, fortè etiam ex Cura ☿ riali reſtitantes reliquiæ: quòd verò à precibus ſe ſubduxerit, ex nuncupato DEI nomine erubuerit, ructus emiſerit, & aſſumpta vel vomitu vel ſeceſſu rejecerit, ad pias exhortationes prævià Catalepſi, motibus convulſivis agitatus ſit, & quo preces & exercitia ſacra ardentius fierent, hoc magis ceu Furiis abreptus ſæviret tamdiu donec precum finis fieret; ex paroxyſmo a. à prima luce ad ſeram veſperam ſic pluries protracto, ne minimùm delaſſatus, animo & viribus alacris reſurgeret, actorum ſe neſcium, verùm cum Dæmone in pugna conſtitutum fuiſſe profiteretur, id eſt quod hoc loco curatius penſitari optimè meretur.

Melan-

Melancholicos in tuto timere etiam à periculo alienissimos notum est: hinc δειμάτων timorum nomine Melancholiam notat Hippocrates, nidum & balneum Diaboli vocant alii, dum ille omnem occasionem arripiat sic dispositis, DEO permittente, non modò malè sibi consciis & perditè viventibus, sed etiam dilectis DEI filiis, (secundum illud, nunquam bella piis, nunquam certamina desunt cum malo hoste) sese associant, illisque quæ potest tristia, terribilia & ad desperationem deducentia, suggerendi.

Sic non defuit nostrum, ex raptu melancholico vix dum spiritum trahentem, tristem, & in solitudine ad confinia Hanoviensia meditabundum, sub arbore obdormiscentem, detestabili imagine perterrere, sine dubio mens per insomnium vestigia repetiit, quæ vigilans metuit, qui execrationis ἐνέργειαν timuit in somno sub spectri formâ delusus, se ad pactum reciprocum ab eodem solicitatum fuisse evigilans sic verè contigisse autumabat.

Idea hæc magis magisqúe radicata & in cerebro quasi sigillata sic tandem invaluit, ut persuasissimum haberet, sibi sacramento obstricto à precibus & quibusvis sacris & audiendis & peragendis abstinendum esse, secus facientem ad exquisitissimum torturæ genus raptum, promissis verò stantem, omni fortunæ genere locupletatum iri.

Quamprimùm itaque Sacrosanctum DEI & Salvatoris nostri Jesu Christi nomen exprimi, vel preces & alia sacra peragi audivit, consternatus pacti sui memor exhorruit, & quasi succensâ flamma erubuit, rem impossibilem autumans has validas Satanæ manus eluctari. Quo secum intensius æque ac anxiè perpenso, spiritibus ad centrum suum revocatis, elater fibrarum stomachi & intestinorum elanguit; œsophagi fibris relaxatis halitus impuri fermentescentes cum sonitu prorumpere & quicquid noviter ingestum cibi vel potûs stomachus habuit, elabi quâ datâ portâ potuit.

Con-

Continuatis pro miserrimi ſtatûs conditione adhortationibus, omni ſensû privatus obriguit, tandem convulſus eſt &c. ſcilicet ex metu pœnæ ſibi per inſomnium dictatæ, ſpiritus attoniti in poris & meatibus cerebri medullaribus turgentes & fixati ſubſtitere, unde quò magis ſpiritus animales ad proſequendum functionum ſuarum officium, in motu progreſſivo fuerunt irretiti, eò motus inteſtinus, ſcilicet conatus à compedibus ſeſe vindicandi, fortior exſtitit, & interim totius machina corporis, motore ſuo orbata muſculis omnibus æqualiter inflatis, velut ſidere afflata obriguiſſe neceſſariò debuit, affectu hinc ἀπὸ τοῦ καταλαμβάνεσθαι à comprehendendo, haud inconvenienter nomen trahente, dum ſic affecti quaſi ab hoſte comprehenſi, aut terrore panico perculſi, in ſtuporem vertuntur.

Hanc Convulſionem tonicam poſt temporis intervallum furor convulſivus excepit, dum ſpiritus perruptis repagulis quaſi Furiis agitati manipulatim nullóque ordine ἀθρόως καὶ βιαίως per ſpinalem medullam elapſi, corpus & ſingula membra irregulari modo concuſsêre; quò enim fortior eſt ſpirituum & humorum in partes muſculoſas influxus & ſtimulus acrior, eò gravior fibrarum abbreviatio & motus muſculorum conſtrictivus ac ſpirituum & humorum exploſivus exiſtit, appoſitè Lucretius affectum ſequentibus depingit.

Quin etiam ſubitò vi morbi ſæpe coactus
ante oculos aliquis noſtros, ut fulminis ictu
corruit, extentat nervos, torquetur, anhelat
inconſtanter, & in jactando membra fatigat.

Ex paſſionibus animi, ira, terrore, mœrore, gaudio, amore, ex ſtudiis & meditationibus ſeverioribus, ſumma devotione, Catalepticorum hiſtoriæ paſſim plurimæ exſtant. Haud verò quid videas ingenioſius atque ſolidius de cauſa & modo producendi exaratum, ac quæ Perilluſtris D. D. Hoffmannus, Medicus Regius Pruſſiac. in Schediaſmate ad Magnific. & Excell. τὸν πάνυ noſtrum D. D. Wedelium typis excuſo

com-

commentatus eſt, occaſione Puellæ, quæ ex anxia mentis triſtitia & conſternatione propter peccatorum commiſſorum multitudinem & nimis intentam meditationem rerum divinarum Cataleptica facta, non minus circa paroxyſmi declinationem fortiſſimas thoracis & abdominis concuſſiones & elevationes cum palpitante cordis motu paſſa eſt; & ad ſe rediens, nihil ſe ſenſiſſe vel audiſſe edixit, ac jucundisſimas ſpeculationes & Salvatoris ſui contemplationes. In quo præcipuè cum affectu noſtro convenit, id eſt, quòd paroxyſmi ſemper invaderent poſt auditam Pſalmodiam aut prolata verba ex Divino Codice, maximè quæ ardentisſimum Chriſti amorem exprimebant, unde Vir Celeberrimus probat ſonorum ac verborum in corpus noſtrum efficaciam ſpirituum animalium motum variè determinandi, adducto exemplo eorum, qui à Tarantula puncti Muſicâ curantur, item Puellæ nobilis, quæ campanæ ſonitu, vel ſonore loquentium aut canentium voce auditâ, animi deliquium paſſa eſt, & inde concludit, quemadmodum ex auditu verbi Divini percellentis valde mentem, ortus ſit affectus, & ſpaſmodicus ſpirituum in parte quadam cerebri motus, ſic non mirum videri, repetito verbo Divino, ſpiritus ad eosdem extraordinarios jam conſuetos motus ſubeundos ſpecificè determinari.

Sic ex ſtatu æquilibrii depulſos, variè determinatos eſſe ſpiritus animales, pro variè renovata & continuatâ ideæ ſibi formidabilis impresſione, Caſus noſter commonſtrat. Ex precibus etenim ad usque veſperam continuatis, & ex hymnorum cantu præcipuè paroxyſmus efferatior factus, non ceſſavit niſi precibus prius abruptis, & quò magis tacitè peragerentur, hoc magis furor miteſceret, JEſu verò nomine acclamatus, & ad ſatanæ conatus eludendos incitatus, multò terribilius deſureret; licet ſenſuum compos factus nihil aliud conſtante ore edixerit, ac ſibi denuò pugnam cum hoſte ſuo ſuſtinendam, & totis viribus reſiſtendum fuiſſe, ne manu collo adhibitâ ſuffocaretur, cæterum nec vidiſſe quicquam nec audiviſſe.

 Ratio

Ratio Phænomeni alia esse non potest, quàm quod sonus ille incitatius factarum precum, & Psalmodiæ validior, sibi licet nescio aurium organa ferierit validius: hinc spiritus jugi ideæ sibi formidabilis impressione, in motu excentrico non modò conservati, sed continuato incitamine efferatiores facti, in toto quod est fasciculo systematis nervosi, turbas continuarunt, simulque convulso diaphragmate cum musculis motui pectoris destinatis & nervis intercostalibus, respiratio intercepta & fauces strangulatis simul gutturis & faucium musculis, quasi laqueo constringi videbantur, sic ut linguâ potenter ac poterat exsertâ spiritum trahere cogeretur. Has ille angustias à malo spiritu sibi inferri imaginatum esse hinc patet, quòd vî torminis aliquando in verba eruperit blasphema. DEO & cœlo renuntiantia & totum se satanæ devoventia. Qui quidem extra paroxysmum de DEO & Divinis loqui, & quæ ad animæ salutem faciunt, tractare non tam recusavit, quàm ad eadem tractata metu panico correptus exhorruit, quasi fœdifrago sibi omnis generis exquisitissima tormenta sustinenda imminerent. Imò seriò & anxius ubicunqne potuit suos Paracletos & animæ Custodes rogavit, ne desisterent suppetias sibi ferre ad se violentis satanæ manibus eripiendum, cum quo pactum renovare bis hebdomadatim cogeretur. Quod unum, illum vindicat satis, ex speciali & præmeditato cum Cacodæmone commercio, non quidquam quod contigit factum esse.

Id unum nos torquet, cujus ratio haud æque obvia est, quî fieri potuerit, quòd ex efferis his motibus in seriem dierum & mensium protractis non quicquam debilior factus integris ex quocunque paroxysmo viribus & animo surgeret, & licet vinculis ferreis manibus pedibusque constrictus intra cancellos cohiberetur, non vel superficiariam læsionem ullibi observatam fuisse, nec ex continua Diarrhœa vires defecisse; nec furentis caput parieti lecti, & per scalam prosilientis muro violenter allisum ut ad tergum prostratus concideret, ullam labis notam accepisse.

Pro-

Prostant equidem historiæ passim, idem à Tarantula demorsis in Chorea S. Viti obtigisse, qui ad saltandum, quamdiu sonum Musicum audierint toto die per integros menses compulsi, non modò non defatigati, sed viribus aucti sint.

Non minimum verò labis accepisse caput & furentia membra catenis constricta, ut non media crepuisse, ossa subinde impossibile videretur, id captum nostrum propemodum superat. Satanæ ludibrium, cujus operationes nullis vinculis corporeis coercentur, tam in hoc quàm in plurimis aliis quæ per morbi decursum contigêre, omninò excludi posse, non forte erit qui statuere suscipiet.

Quòd verò ἐνεργούμενος & à malo spiritu obsessus hæc sua peregerit, fidem neutiquam meretur, dum singula defuerint, quæ indubia & pathognomonica signa Obsessos designant: nempe non vaticinia nec in- nec extra raptum protulit; non ulla quæ captum ejus superant, minùs linguis peregrinis loquitus est, de DEO & Divinis planè verba non fecit, facere veritus est, falso phantasmate deceptus: nec ulla peregit quæ sphæram naturæ transcendunt. Ut sic ad Θεῖον τι recurrere vel satanæ viribus attribuere, causâ naturali vel sensibus obviâ, nulla nos ratio invitet.

Sunt inter Pietistas Inspirati dicti, qui vî qnasi & fortius si non ambitiosius commercium cum DEO, intensissimo mentis conatu ambientes, Divinas passim inspirationes somniant. Si rem physicè contemplemur, quid quæso ab hoc nostro differunt? nisi quòd illi sacris & Divinis intenti, summè devoti, & dulcissimo ut perhibent DEI amore capti, prævio rubore faciem perfundente, cum strangulatione quasi suffocativa & partium tremore convulsivo ad Ecstasin catalepticam rapti Divinis ut referunt colloquiis, maximo animi solatio fruantur: hic blanda quamvis & suavis spirituum titillatio, nimia tamen & in uno objecto nimiùm defixa efficit, ut spiritus ad cerebri meditullium rapti, ibidem turgentes & concentrati, immoti perstent, sibique phantasmata fingant, quæ prius pro genio suo

impensius animo volvebant, tamdiu donec suopte impetu & elatere viam inveniant ad solennem partium irradiationem continuandam, quæ quidem non sine anxietate & conatibus convulsivis, paroxysmum concomitantibus impetratur. Unde fidem deliramento jactatis visionibus Angelicis conciliare conantur, & effata inter ecstasin, ceu divina oracula hujus farinæ gens credula recipit. Ecquis ludere dæmonem quandoque devotissimos hosce minus piâ ambitione quæ sibi non conveniunt affectantes, æque ac lusit nostrum non tam impium quàm impiis imaginationibus actum falsumque crediderit?

## OBSERVATIO XXIV.

### Dn. D. Sylv. Samuelis Anhornii de Hartwiss.

### *Catalepsis cum furore convulsivo Salsulis Scolliensibus curata.*

PUella & generis & virtutum splendore ornatissima, 14. annorum, facie pallida, artubus languens, capite multum dolens, ab assumptis quibusvis in stomacho malè habens, & siti continua tentata, dum anno prosuperiore abhinc Lindaviam ad sacra peragenda cum nobilissimis parentibus navi super lacum Acronium vecta iter faceret, in reditu parumper fluctuantibus undis procul dubio perterrita, in animi deliquium incidit: refocillata quocunque studio non animum recepit, donec navi ad portum delatâ, in lectum deportata esset. Durante deliquio, de DEO & Sacris mira, vel captum ejus superantia perpetuo ore loquuta est. Domum deveniens ex adhibitis Antihysterico-epilepticis commodius vixit: scilicet suffocationibus hystericis per paroxysmos redeuntibus mitius correpta est. Thermæ Fabarienses pro vitiis Duumviratûs corrigendis, salibus efferis diluendis, siti sedandâ, & generis nervosi mulcimine, ad potandum manè exhibitæ sunt, at in veram catalepsin affectus transiit: attonitam post temporis intervallum

tanti

tanti artuum totiúsque corporis motus exercuêre, ut robore plures ipsam in lecto detinentes fortissimos viros eluderet; illos adlatrando, mordendo, inspuendo, percutiendo, & qua vi valuit repellendo malè tractaret, anhelatione & miserabili clamore loca dissita impleret, donec post plurium horarum decursum, actorum nescia mentis compos fieret. Sic tandem affectus invaluit, ut quotidiè ter quaterque repetitis paroxysmis invaderet: & dum sine vinculis illam coërcere impossibile esset, ex his verò periculum haud abs causâ metueretur, decretum est ipsam utcunque furibundam sub sedula inspectione sui juris facere, ad perspiciendum quid agere, quid conari attentet. Libertati reddita è lecto prosiliit, per hypocaustum clausis oculis divagata, quos sibi appropinquantes comperiit, arripuit, unguibus læsit, manibus percussit: dein pallium de pariete suspensum induit, ad speculum quasi inspiciens stabat, & alia ridicula, ne verbum proferens peregit: tandem humi subsidens obriguit, mox convulsa artus varie inflectens & jactitans dentibus frendebat, linguam exseruit, & insignem strangulationem passa est: aliquando sponte sua lectum petiit, & tremulo artuum, capitis & oculorum motu sensim cessante, nec multum delassata, nec actorum memor mentem recuperavit.

Quæ ex Antispasmodicis præstantissima sunt, adhibuit nullo mali levamine. Sic Salsulas Scollienses, afflicto generi nervoso maximè amicas, sale nitroso fœtas, potandas commendavi. Paroxysmus, qui præcedente die toto non miseram deseruit, & hâc quâ Salsulas capere inchoavit matutinâ, non minore vehementiâ rediit, ex quo primum poculum exhaustum esset, siluit ex tempore. Sic Curâ per novem dies dosi dimidiæ mensuræ continuatâ, per alvum pessimè olentis saburræ copia excreta est. Vivit exhinc lectissima virgo, tertio jam anno, ab hoc affectu liberrima, & si recidivæ metus quandoque immineat, mox ad Salsulas ceu sacram anchoram

confugit, & uno alteroque haustu ex omni se periculo vindicat.

Singulare & specificum quid Salsulis inesse, ad afflicti generis nervosi affectus edomandos, nec id effectus ex solo quem possident intestina everrendi stimulo procedere, ex eo patet; quòd durante malo, aliquando ex emetico, & dein aliis lenissimè sordes primarum viarum extergentibus rhabarbarinis, jalapinis, magnesia, & anthelminticis, ne minimum mali levamen impetratum, potius exacerbatio notabilis sequuta sit; quæ singula magnificus Dominus Præses, ἐκ στώματος ipsius nobiliss. Dominæ Matris prolixius enarrata nuper habuit.

# OBSERVATIO XXV.

## Dn. D. Sylvestri Samuelis Anhornii de Hartwiss.

## *Catalepsis cum furore convulsivo Salsulis Scolliensibus curata.*

HEroina heroico stemmate nata, corporis æque ac animi ornamentis excellens, ad magna quæque suâ progenie digna apud exteros magnis impensis educata, non quidem pari cura circa diætæ usum, præcipuè instante catameniorum tempore observata est. Gallis scilicet quod usu venit, fructuum & quæ alia cavenda erant, liberaliore usu sine temporis discrimine concesso, menses quidem statis periodis sed parcius vidit: ad hoc in florentissima 17. annorum ætate minùs attenta, dum cætera integræ valetudinis esset, patriam ab illustrissimis parentibus vocata repetiit. Ex itinere in Carpento feliciter quidem, sed non sine tædiis & terrore ex diluvio aquarum singula inundante confecto, id semper incommodi perstitit, ut capite doleret. Adhibito Medici patrii consilio, pro seri meninges lacessentis evacuatione & correctione, data sunt per

per epicrasin laxantia, præcipitantia, nervina, & invalescente dolore ad Plethoræ diminutionem sanguis sectâ venâ extractus est. Fuit pro totius constitutione optimæ notæ, floridus sed pauco sero perfusus, hinc sine dubio ægrè invasis suis circulans & fibras meningum onere suo tendens, per plures horas sanguine detracto levari visa est & mitius affligi; sub vesperam verò tensio frontis cum cephalalgia rediit, in suffocationem hystericam & motus convulsivos terminata. Medicus dictus doctrinâ, consilio, scientiâ, & ex longo rerum usu medendi dexteritate præstans, quâ licuit celeritate advocatus, quæ ars expertissimo dictabat adhibuit: id solicitâ curâ effectum est, ut menses copiosius fluerent, capitis dolor mitigaretur & paroxysmus protractiore intervallo rediret. Dum verò impetus furoris convulsivi ex quavis accessione violentior evaderet, illustrissimis parentibus placuit, & aliunde consilia conquiri, & me quibus olim Fabariis innotueram, advocari. Non morem gerere petito non poteram. Susceptum est iter, facies illustrissimæ Patientis ceu Veneris & Gratiarum manibus facta, ne minimum venustatis & virium detrimenti ostendit. Singulari sermonis suavitate, animi verè excelsi indice retulit, quem affectus originem sortitus sit, unde incrementa cœperit, & quæ mutationis imminentis indicia habeat. Pharmaca sibi pro præservandi & curandi scopo commendata ostendit, simul contestata, jam quidem ab octidui spatio se optime valentem, si amplius quid pati cogeretur, malle ut me autopten habere posset: & en! hoc ipso tensionem frontis, deliquii sui prodromum indicat, faciem occupat robur & lectum petere cupit assumpto prius aquæ antihystericæ haustu. Vix ac decumbens sensuum usum amisit, oculis scintillabat, velut utero strangulata diu jacuit, non quovis suffitu vel spiritu naribus admoto excitabilis, motus tremuli modo hanc modo illam partem agitârunt, donec vel ignem concipiens malum in flammam subitò erupit, illustrissimam ceu furiis raptam concussit, agitavit, & tam enormi modo commovit, ut in lecto

custo-

custodiri vix debitè potuerit: totius truncus corporis modo tonicè convulsus obriguit, modò totus in altum elevatus, vi stupenda denuo in lectum projectus est: custodes suos qua valuit vi manibus pedibusque compulit, & tanti tamque varii exagitationis convulsivæ, modo hujus modo alius partis, modi observati sunt, ut singulos recensuisse ad rem non faceret; quatuor horas & supra paroxysmus duravit. Collectis sensibus actorum nil meminit, gravi somno se pressam fuisse, insomniis terribilibus pleno, quasi vel in aqua sibi suffocandum, vel salutem fugâ quærendam, vel cum hoste dimicandum, & vis attentata reprimenda fuerit, conquesta est: vires pro tanti laboris onere haud æque defecerunt.

His sic actis, Medicus ordinarius omni laude superior accessit, perpensis invicem quæ perpendenda erant, amice deliberatum est, quo modo quibusque armis hic feralis impetus infringi & coërceri commode possit. Primus fuit intentionis scopus, ut stomachus ad nauseam & vomitum proclivis leni emetico exponeretur: datus est pulvis hippecacuañæ scr. j. pondere ex jusculo: effectus licet non pro voto fuerit, blennæ tamen viscido-biliosæ modicum repetito vomitu excrevit, & paroxysmus ad usque vesperam protractus, non minus ferox ac hactenus rediit, fragrantibus & spiritibus naribus admotis vis impetus manifestè augebatur, non citius & mitius, ac sponte defervescens finiebatur.

Quò vero irritaminis causa undecunque suppeditata, vel ex primis viis, nervis stomachicis, mesentericis, uterinis, ad ipsum meningum contextum & poros cerebri medullares ceu gas halituosum penetrârit, per remedium afflicto generi nervoso specificè dicatum tolli queat, cum Sallulis, prolata in medium historia, & aliis pluribus exemplis, rem tentare amice convenimus. Dum autem hoc tempore hyemali St. Gallo, plurium dierum intervallo distante accersendæ essent, interea totis viribus prospectum est, ut qua licuit sollicitudine appropriatissimis nervinis omne irritamen, & hinc spirituum inordinatæ excur-

ſiones prohiberi poſſint. Adventantium tandem Salſularum jejuna menſuram dimidiam ſubtepidè bono animo exhauſit: unde alvo lenius commotâ poſteris diebus aliquid magneſiæ additum eſt, quod largiore Salſularum doſi & melius & tutius expeditum ſine dubio eſſet. Reſpondit tamen effectus DEI Opt. ex gratia, ut exhinc unicam adhuc acceſſionem nec adeo validam ſuſtinuerit, & medium usque ſequentis anni prorſus incolumis attigerit. Æſtu æſtivo inſolite hoc anno invaleſcente, denuo dolores capitis invaluerunt. Illa vivida licet, & flore ſanguinis turgentis luxurians menſtruisque parcius purgata, primæ venæ ſectionis veſtigiis perterrita, eandem diſtulit, donec priſtini affectus tragœdia illam præoccuparet, accitis à me Salſulis, ex primo hauſtu omnis anomalia conquievit. Hinc ex integra menſura quotidie per novendium evacuatâ, effectu per utramque viam & ſalivationem non minus quod proprium Salſulis eſt, ſe pro voto exerente, pro voto convaluit.

Jam vero illuſtriſſimis parentibus cordi haud fuit immerito de conſilio ſollicitis eſſe, quo & proſpici venturo, & fomes mali extingui poſſit; ne modicum vini tulit illuſtriſſima ſine æſtu mox faciem occupante, & dolorem capitis concitante. Ideo non quid præſentius viſum eſt ad ignem de facili concipientia ſalia ſupprimenda, amicam inter ſuccos corporis harmoniam conciliandam, & excedentem turgentis ſanguinis copiam ad regulas ſolemnis excretionis reducendam, ac acidularum uſus, πρακτικώτατος æque ac ſolertiſſimus loci Medicus purgato prius corpore per magneſiæ ℥j. dein ſanguine per venæ ſectionem detracto, ſic ſingula curæ momenta pro ſua prudentia direxit, ut DEO benedicente illuſtriſſima, illuſtriſſimorum parentum maximo ſolatio abhinc integerrimâ ſanitate fruatur.

# OBSERVATIO XXVI.

## Dn. D. Sylv. Samuelis Anhornii de Hartwiſs.

## *De Salſulis Scollienſibus.*

SAlſulæ ſic dicuntur à ſapore ſalino, quem guſtatæ linguæ imprimunt. Locus ipſis natalis eſt Rhætiæ pars ſuperior Fœderis Cathedralis in inferiore Engadina Cœtûs Tharasp, ad viculum Culpera, unde loco declivi deſcenditur ad fontem, ubi in planitie ex rupe petroſa binâ ſcaturigine ex binis foveis ebulliunt, quarum minor plerumque efficacior habetur, ambo in fluvium Oeni proximè præterlabentem ſe exonerant. Id quod uſui Medico deſtinatur, cochleari ferreo exhauritur, & vaſi infuſum bibitur, vel vitris incluſum ad loca disſita deportatur.

Scollienſes nuncupantur à pago trans Oenum circiter quartam horæ partem à Salſulis diſtante, qui amœnitate loca vicina in hoc ſuperat, quod in agro ſatis amplo, gramine, frumento & Acidularum fontibus fertili ſitus ſit, unde advenarum plurimi ibidem divertuntur, & bene lautè habentur: mane ad potandum Salſulas tritâ & facili viâ Culperam exſpatiantur.

Salſulas haſce Acidulas eſſe ſalſis particulis magis fœtas, probant plures, qui in confinio circiter horæ dimidiæ Acidularum fontes viſuntur, quorum duo tantâ copiâ & alacritate è canalibus ſuis profluunt, ut urgendæ rotæ molaris ſufficerent. Has inter Aquas aliæ verè Acidulæ etiam generoſisſimas S. Mauritii acidulo ſapore longè ſuperant. Aliæ Salſulæ, ad guſtum ſalinum tendentes habentur.

Salſulæ recentes & frigidæ è fontibus ſuis ſcaturientes, non quidem Acidulis pariter gratæ, aliquamdiu tamen potatæ, haud ſic guſtui adverſæ, conſuetudine redduntur: calore autem agitatæ & ſubtepentes vel in locis minùs frigidis aſſervatæ, notabiliter & cum nauſea urinoſæ evadunt.

Id crebro experimento vidi, quòd ad fontem recentes, pulvere Gallarum mixtæ sensim mutato colore primùm rubellæ & post aliquot horas fuscæ **Dunckelbraun** evaserint: addito spir.⊕li notabilem luctam, bullulis turmatim exsurgentibus concitatam, à spiritu autem salis ammoniaci ne minimam mutationem secutam esse. Acidulas ejusdem loci ex pulvere Gallarum in instanti mutatas & Salsulis profundius & citius tinctas esse. Quòd accuratissimus æque ac solertissimus in scrutandis naturæ abditis D. D. Scheuchzerus Tigurinus, in Hydrographia sua, p. 303. in Salsulis ex pulvere Gallarum addito, nullam mutationem observârit, id Viro in quibusvis solidissimo accidisse potuit, experimento cum Salsulis ex dissito sibi adportatis, & suâ parte tingente volatiliore orbatis instituto: idem mihi Anno 1686. cum Acidulis S. Mauritii obtigit; ad ipsum fontem pulvere Gallarum injecto, non quidem uti Scollienses promptè colorem mutârunt, & sensim ex flavo vini adinstar rubebant sensimque tinctiores evaserunt: in Pagum verò haud semihoram à fonte distantem deportatis, idem pulvis inspersus parum mutationis attulit.

Patet ex hoc, partem volatiliorem esse & spirituosam Aquarum mineralium, quæ tincturam ex injectis extrahit, quantumque dispendii ad loca dissita deportatæ patiantur; insuper partes suas valdè activas mobiles & spirituosas produnt, vasis vitreis inclusæ; hæc enim vasa si bene repleta mox subere obturentur, & bitumine ut assolent munita, ad deportandum exponantur, mox cum fragore rumpuntur. Salsulis præcipuè id se expandendi virium inest; aër enim quàm primùm se salibus miscuit, eadem commovet, & amplius spatium affectans, vasa diffringit, hinc earum bajuli fervente sole in diversorio quiescere, & bene mane ac horis vespertinis easdem frigida perfusas deportare coguntur, secus vitra quibus ad exhalandum via non datur, rimas agunt, vel penitus diffiliunt.

Seminale Salsularum principium quodnam sit, id à priore determinare haud facile est. Alkalicam prosapiam indicant ea-

 rum

rum cum ſpiritu ⊕li lucta, guſtus quandoque ad nauſeam urinoſus, & ſapor quem potatores ſentiunt ſpiritu plenus, inebrians & vertiginoſos ad usque tempus excluſionis efficiens. Sal tertium poſsidere ex alcali nitroſo cum ♀re ⊕li ♂tis varie circulatum, alteratum, cicuratum & tandem amico connubio ſociatum, vel ſolus ille ſapor urinoſus indicat, quem calore externo actuatæ, ſoluto amicæ conjunctionis vinculo deguſtatæ exhibent, qualis ex lapide prunellæ cum ♀re parato habetur. Salis nitroſi, guſtus non ingrati Excellentiſs. DD. Scheuchzenus l. c. gr. vi ex quavis uncia per evaporationem habuit. Huic haud abſimile ſal album, diu aſſervatæ, in fundo deponunt & ubique vitri parietibus affigunt; acidulis econtra St. Maurizii, rubente ochra ♂li vitra conſpurcantibus. Ex hujusmodi ſalis tertii prædominio vires ſuas poſsidere Salſulas ad afflictum genus nervoſum ſingulares & ſpecificas, præſentiſsimi effectus τεκμήριον, docet, quod ab aliis quocunque artificio paratis medicamentis æque promptum & felix haud hactenus impetratum eſt. Etiam in colicis doloribus quibuscunque, tam curandi quàm præſervandi ſcopo appropriatas, & in hoc ſingulares ſuas vires exſerunt, quòd vix detur inter plurimos unus, qui ſolo Salſularum uſu ad ipſum fontem curatus, reliquo vitæ ſuæ curſu recidivam expertus ſit. Solus Salſularum uſus, ſcilicet non medicamentis aliis nec etiam acidulis ſociatus, ut quidam ſolent requiritur. Solæ namque id efficaciæ habent, ut ſucco fermentante hoſtili ex plicis & glandulis inteſtinorum exterſo, & fermenta reſtaurent, & dolore fractum fibrarum robur reſtituant & firment, quod ab acidulis deſuper potatis denuò infirmari, & ſi non in ipſo adhuc loco, ſaltem paulo poſt in priſtinum delabi, plurium exempla mihi usque teſtatum dedêre.

Vix eſt qui me atrocius in juventute ſua dolores colicos pertulerit, ex ſacharatis, mellitis, acidis, glaciatis, alliatis, pedum refrigeratione, præſto affuit ingratus hic hoſpes, cum pertinaciſsima alvi conſtipatione, à beato Domino Parente meo

meo pluries commonitus, ut Salſulas Scollienſes nemini non in hoc affectu proficuas, in uſum ducerem, aures non invitus dediſſem, niſi hæmoptoicum auguria deterruiſſent ſic affectis propria, vicit tandem ex tormine exquiſitiore & crebriore, conſtipatione & vomitu ileos periculum; repetita venæ ſectione & juſculis cum ſucco urticæ & plantaginis alteratis ſedata hæmoptyſi (approbante propoſitum perilluſtri & excell. D. D. Theod. Zuingero, Facult. Med. in alma Baſil. Acad. P. P. fautore & amico ſincerè colendo) ſub finem Junii *1686*. comite DEO & ampliſs. Urbis noſtræ Quæſtore Dn. Tob. Schobingero ad ipſum fontem profectus, à media incipientes, integram deinceps menſuram jejuni exhauſimus: unde non minus largiter ac leniſſimè alvo commoti, die undecimo abitum paravimus, & via ad acidulas St. Mauritii viſendas directa, DEO duce ſalvi domum devenimus. Vitam quidem pluribus abhinc annis finiit ampliſs Dn. Quæſtor ſeptuagenario major, ex procidentia in ſcrotum ſtrangulatis inteſtinis Iliacus: mihi vero DEI Opt. ex gratia vel torminis vel hæmoptoes in hunc usque diem ne minimum quid obtigit.

Complura recenſere poſſem vel prodigioſa Salſulis ex colica reſtitutorum exempla: id unum innuiſſe ſufficiat, ex quo primus in me periculum feci, me non unum noviſſe, qui non incomparabilem earum virtutem usque dum in ſe deprædicarit.

Dum autem nobis tum temporis (quamvis non æque Rhætiæ incolis) ignotæ, & à nemine usque patriæ Medicorum in uſum vocatæ ſunt, Opt. Parentis mei literas addidiſſe haud lectori ingratum fore exiſtimo, quæ ad experiendum vires illarum, primùm in me ipſo me moverunt, quæ fuêre ſequentes:

*Chariſſime Fili.*

PEtis à me prolixius Tibi ſignificari, quæ de Salſulis Scollienſibus mihi nota ſint, tradam quæ de iis mihi conſtant. Sitæ ſunt in inferiore Engadina, territorio Rhætiæ, quod pars eſt

fœderis Cathedralis ſeu Domûs DEI ut vocant, cujus Metropolis Curia Rhætorum eſt. Dum A. 1647. ibidem negotiorum causâ verſarer, audivi excellentiſs. virum Dn. Ulyſſem à Salis longo ſatis tempore torminibus, ſive doloribus colicis mirabiliter fuiſſe excruciatum, & eodem quoque tempore ampliſs. Virum Dn. Tſcharnerum, civitatis Curienſis Conſulem, inclamavit uterque Medicorum operam, ut illorum conſilio exquiſitiſſimis torminum doloribus liberarentur. Adhibita fuerunt à peritiſſimis Medicis conſilia & medicamenta, quæ non putabantur non operatura, & doloribus linimentum aliquod allatura, ſed res omnis exoptato caruit ſucceſſu, & videbantur duo illa Rhætiæ columina inexplicabilibus doloribus ſuperata propediem ad plures abitura. Acceſſit tandem ad ſtrenuum Virum Dn. Ulyſſem à Salis Mareſchallum Campi Regis Gall. Ludov. XIII. Medicus Volturenſis, qui eum juſsit Scolio ex inferiore Engedina Cadum Salſulis ibidem ad Oenum ſcaturientibus plenum accerſere, & aliquot diebus manè jejunum menſuram bibere. His auditis præfatus Dn. Mareſchallus è veſtigio famulum ſuum, equum clitellarium & duos cados parare, & ad iter ſe accingere juſsit. Scripſit interea epiſtolam ad Dn. Jacobum Vulpium loci Paſtorem, quem rogavit, ut quamprimum ſervus ſuus Scolii appulerit, duos illos cados circa veſperam Salſulis impleri curet, altero mane iterum evacuet, recentibus Salſulis impleat, cados obſignet, & ſervum ad ſe remittat, adventantium cadum unum pro ſe retinuit, alterum Dn. Conſuli Tſcharnero Curiam miſit. Hæc cùm mihi nobiliſs. Vir Dn. Abundus à Salis Mareſchalli frater narrâſſet, & fratris reſtitutionem & ipſius quoque Conſulis, non ſine magna animi lætitia retuliſſet, ego St. Gallum ubi tum temporis agebam reverſus, totam hiſtoriam excell. Dn. Caſparo Rothmundo Med. Doctori narravi, & juxta quoque ſignificavi, me à teneris doloribus colicis exagitatum, intollerabiles nonnunquam dolores paſſum, in animo habere Salſulas illas in loco frequentare; tentaturum, num ab iſtis doloribus

ribus harum usu liberari queam. Approbavit propositum meum, & se cum quatuor aliis Civibus iisdem doloribus obnoxiis, comitem mihi adjunxit. Profecti igitur ad Salsulas illas, mense Junio Anni 1648. per novendium ibi commorati sumus, mane jejuni quisque mensuram integram bibimus. Die quinto singuli nauseam cepimus integram evacuandi mensuram; bibimus unusquisque mediam, & lenius laxata fuit alvus. Frigidissimæ dum fuerint, jussit Dn. Doctor. ad ignem calefacere & bibere. Ego ad finem usque frigidam bibi & etiam vesperi tantundem evacuavi. Die decimo Scollio discessimus, & ab isto tempore in hunc usque diem nec ego qui nunc annum octuagesimum ingredior, nec ullus qui mecum usi sunt, & jam omnes è vita discesserunt, tædiosos istos dolores ne semel amplius sensimus, DEO sint laudes in sæcula. In prædia durante curâ & prata deambulando quotidie excurrimus, & in semihoræ circuitu ultra viginti Acidularum scaturigines deprehendimus, sed nec Mauritianis aut Wildungensibus in Hassia acore, nec Fiderisensibus & Deinacensibus in Wittenbergia amœnitate similes. Dixerunt mihi Pagi incolæ, nunquam de fontibus istis bibi, nisi quando plenâ æstate in prædiis vicinis fœnum colligant. Hæc jam habe quæ mihi usque de Salsulis nota sunt, & quæ Tibi profutura putas selige, & prosperè vale cum Uxore & liberis. Dabam Elsaug. d. 2. Febr. 1686.

*Tui amantissimus Pater*
Bartholom. Anhorn.

Uti verò in Colicis doloribus incomparabili virtute excellunt Salsulæ, sic etiam ad asthmata suffocativa, ad hydropem tendentia in duobus Reipl. nostræ Prostatis, consilio amicissimi Collegæ nostri D. Doct. Hilleri felici successu propinata fuisse non pronuper vidimus.

Unum

Unum liceat addere, quod admirandam Sallularum virtutem antiſpaſmodicam egregiè illuſtrat, exemplum ſcriniarii noſtratis Georgii Kitt, qui annorum circiter 48. à multis annis ſtrumoſus, ſic tandem anheloſus evaſit, ut non niſi tardo greſſu incedere, opificio ſuo vacare neutiquam potuerit. Collum ubique prægrandi tumore cum facie æqualiter coextenſum, vaſis ſanguiferis cruore ſtagnante turgidis, oculis ex orbita ſua extruſis & prominentibus, lividus ubique & adſpicientibus, terribilis videbatur, variis medicamentis incaſſum tentatis, me ſuaſore ut vires Salſularum experiretur, eques ad fontem abiit, ad locum deveniens, unanimi Advenarum ſuffragio, quaſi tumulum ſibi ſtructurus, ad ſuos ut recederet dum viribus valeret, juſſus eſt, unus Hoſpes animum addidit, periculum ſine periculo fieri, & auctor fuit, ut tantum intrepidè biberet quantum ſtomachus ſine faſtidio ferat: id præſtitit mane cum cæteris qui curæ faciendæ causâ acceſſerunt, & ſpreto conſilio qui metum deterioris eventûs incutere contenderunt, integram menſuram exhauſit. Singuli Compotatores cum voto felicioris ſucceſsûs ac ſunt ominati Scollium diſceſſerunt. Solus noſter in loco, Culperæ permanſit, ad alvum reddendam pluries ſtimulatus, jam circa veſperam diminui tumorem & ſpiritum facilitari ſenſit: noctem præter ſolitum quietus egit: mane ſudore madens evigilavit, & omnis expers tumoris, quàm qui antiquus glandularum ex lympha incraſſata aderat, lectum deſeruit: lætus totus. ad fontem ſe contulit, & ſuâ portione denuò hauſtâ, adventantibus Scollio Hoſpitibus alacris obviam ivit, à nemine ne quidem concivibus primâ facie cognitus, eundem ſingulis quem ipſe curæ ſucceſſum Thaumaturgi Numinis beneficio ceu ἀπὸ μηχανῆς impetrârit, non ſine omnium ſtupore apprecatus eſt. Curâ ſeptem dierum ſpatio peractâ domum ſe pedes contulit, & plures adhuc vitæ annos proſperè egit: tandem tuſſi & aſthmate denuò invaleſcentibus Aſcite obiit.

Id recensuisse de Salsulis nostris adprimè meretur, plurimos incolarum sine ullo medicamine consenescere; vidimus conjuges, maritum 90. maritam 88. annorum Scollii præ foribus sedentes, & in libro suo idiomate, quod est ex Latino, Italico & Gallico corruptum, excuso ambo sine specilli subsidio legentes; qui nobis retulerunt, se singulos consuevisse, si quid sibi adversæ valetudinis obtingat, ad Salsulas statim ceu sacram anchoram confugere, & ex his rarò non quæsitæ operationis successum reportare.

*(San-Gallo Augustam Vind. d. 9. Febr. A. 1717. missæ)*

# OBSERVATIO XXVII.

## Dn. D. Johannis Andreæ Vlenbenzii.

## *Anatome fœminæ ex Hepatis scirrho defunctæ.*

HEpar quamplurimos pati manes, hinc inde Observationes cumulatissimæ abunde testantur, quibus sequens notatu haud indigna annumerari poterit historia: Deferebatur in Nosocomium Ulmense fœmina quædam rustica quadragenaria, Barbara Oesterlina, quæ jam per triennium de dolore lateris dextri circa regionem hepatis in propriis ædibus graviter conquerebatur, qui vero sensim augmentum unà cum tumore partis affectæ sumens eandem summè excruciabat, usque dum tandem penuriâ & viribus fracta Nosocomium nostrum petetet. Visitans eandem, macie fermè totam consumtam sceleti instar vivi deprehendi, cum summa tamen superioris abdominis intumescentiâ; curiosius idem contrectans, insignem duritiem sentio, quam nihil aliud, quam induratum & in nimiam molem excretum hepar esse statim judicavi, & hinc prognosin fatalem prædixi. Id quod & eventus, doloribus continuo lacessentibus, & hinc viribus totaliter collaben-

tibus, confirmavit; Post 5. enim hebdomadas patientissima blandissime exspiravit. Viscera igitur perlustraturus convocavi Dominos Georg. Riedlinum, Chirurgum multifaria praxi expertissimum, ejusdemque Adjunctum Conrad, David Hekingium itidem solertissimum, in quorum aliorumque spectatorum præsentia anatomicum ipse dirigens cultrum sequentia observavi: Reserato nempe abdomine, intestina valde flaccida sero flavescenti mensuram superanti innatabant, mesenterio hinc inde glandulis scirrhosis consperso. Ad Hepar ipsum, tanquam primariam partem affectam progrediens, deprehendi illud ratione qualitatis & quantitatis totum quantum à statu naturali valde alienum, ratione enim coloris erat pallidi flavescentis tam in tota externa superficie, quam per totum & intimum ejusdem parenchyma, saltem in margine loborum pauculi rubicundi aderat, vix unius unciæ pondere genuinam hepatis superstitis substantiam referens, totum ferme exsangue; ratione consistentiæ durum, densum, scirrhosum, & quasi caseosum. In quantitate quoque multum à statu naturali recedebat, totam quippe superioris ventris cavitatem replebat, & ad usque lienem extendebatur, staterâ vero examinatum ℔xis ponderis civilis superabat. Reliqua, præter cor solito flaccidius, & pulmones pleuræ affixos, interiora pro subjecti constitutione satis integra erant. Id saltem mirabar, in tanta & ferme totali hepatis scirrhescentia, ne minimum quidem calculi tum in illo ipso, tum in vesicula biliaria delituisse.

# *OBSERVATIO XXVIII.*

## Dn. D. Johannis Andreæ Usenbenzii.

## *Tumor insignis circa pudenda feliciter extirpatus.*

INgentes & vastissimos, imo & portentosos quandoque reperiri in variis corporis humani partibus tumores, solertes & curio-

curiosi Observationum Collectores hinc inde annotarunt. Loca quoque pudenda ab iisdem haud esse immunia experientia comprobat, & optandum esset, ut præposterus, certeq; deridendus muliercularum in ejusmodi casibus pudor seponeretur, cum Medicis totius Naturæ, & hinc etiam Corporis humani Mystis æquè notissimæ sint hæ obvelatæ partes, quam aprico expositæ; Nihil quippe aliud efficiunt, quam ut mala hæc indies majus capiant augmentum, & cura reddatur difficilior. Ejusmodi Casum & mihi videre contigit, cum d. 22. Sept. Anno hoc 1717. unà cum Chirurgo in arte suâ satis perito Michaele Krebs vocarer ad virginem textoriam 27. annorum, faciei & corporis habitu haud invenustam, quæ pudebunda referebat, quod ante quadriennium circa latus sinistrum pudendorum senserit tuberculum quoddam instar fabæ minoris, quod verò neglexerit, & intactum reliquerit; cum vero attenderet illud sensim majus capere augmentum, tentasse illud removere iterata sæpius impositione Emplastri de spermate ranarum; sed incassum, intra biennium enim hunc tumorem ad pyri mediocris magnitudinem excrevisse, usque dum tandem citatius sumens augmentum in ingressu maximum excitaverit impedimentum, propter attritionem, excoriationem, & ichorescentiam continuam, unde obvelationem ulteriorem sibi esse impossibilem, hinc eundem tamdiu pudoris velamine tectum detexit, & ecce, conspeximus tumorem tantum & talem, qualem Figura exhibet, secundum omnes dimensiones, longus enim erat novem pollices cum dimidio, latus & crassus septem, pedunculi autem crassities ultra duos pollices extendebatur, consistentiâ solidus & duriusculus, colore cum cute reliquâ similis, vasis sanguiferis percurrentibus conspicuus, inferiorem vero partem ultra tres pollicum latitudines excoriatus. Consilium ineuntes de medendi methodo, conclusimus, ut factâ prius ligaturâ sensim arctius constringendâ totus hic tumor vel sponte separaretur, vel factâ νέκρωσι ferro resecaretur. Subligavimus igitur filo serico, unde mox ingen-

tes suborti dolores, quos vero Patientiæ Linimento demulcendos esse suasimus. Die 25. arctior superimposita est ligatura, unde tumor sensim livescere & frigesieri incipiebat, hinc die 28. circa locum illum in Figurâ punctis notatum sine notabili hæmorrhagia amputavimus; bilance examinatus pendebat ℥xxxvj. Facta ejusdem sectione, reperi totum quantum glandulosum, innumeris stipatum vasculis sanguiferis & lymphaticis, unà cum nervosis. Relictam vero portiunculam demum die 4. Oct. rescidimus, unde quidem valde notabilis sequebatur hæmorrhagia, quæ vero applicato cum stuppis pulvere sympathetico mox cessabat; frustulum autem hoc ℥iv. pendebat. Curabatur ex sectione ortum vulnus, usque dum circa finem Octobris illud cicatrice cutaneâ plenarie obtegeretur, & sic hanc virginem lætam absolvimus. Similem ferme observationem extirpati, & per sectionem curati in pudendis tumoris seu Nattæ in ancilla quadam Eph. Nat. Cur. Cent. I. Obs. 73. nec non in fœmina quadam Eph. dictarum Dec. 1. A. 6. &. 7. Obs. 19. annotarunt, quam ultimam etiam Bonettus Med. Sept. P. 2. L. 4. Sect. 1. Obs. 9. inseruit. Cum vero noster tumor alterum ℥xxvß. quantitate præponderet, hinc & eundum notatu haud indignum judicavimus.

Vide Tab. I.

# OBSERVATIO XXIX.

## Dn. D. Johannis Andreæ Usenbenzii.


## De pro Obsessa vel Fascinata habita, curata.

NIl magis familiare, præprimis in rudioris farinæ plebe, quam præternaturalia, imo quandoque naturalia cum supernaturalibus confundere, & morbos ex causis plane naturalibus ortos pro magicis, fascinatis & diabolicis venditare & proclamare. Diffitendum vero minime, dari haud raro morbos tam mira imo horrenda symptomatum syndrome stipatos, ut non solum vulgo, sed & hisce prudentioribus imponere queant

TAB. I.

ad Cent. IX. Obs. XXVIII.

ad C. IX. Obs LXI.



ant. Medico vero naturæ scrutatori incumbit altius hæc indagare, & nisi fermè omnia omnem naturæ ordinem & potentiam transcendant, mitius & prudentius de hisce judicare. Obtigit & mihi ejusmodi casus, in puella quadam rustica decenni, ex pago Dimmelhausen territorii Ulmensis prognata, de qua vulgaris rumor spargebatur, illam à diabolo corporaliter esse obsessam, vel ad minimum fascinatam, hinc etiam parentes & cognati ejusmodi conquirebant auxilia, quæ vel cacodæmoni profligando, vel à fascino liberando essent sufficientia; præprimis id exspectarunt à famoso quodam Clerico haud longè à nostra urbe degente, qui etiam suis fungebatur rebus, ast irrito & plane nullo effectu, quin potius malum exasperaretur, & symptomata indies fortius ingravescerent. Hinc anxii parentes hance suam filiam die 19. Febr. 1717. ad meas ædes advehi curarunt, ubi statim in earundem limine, nec non in museo aliquot præcipue primo intuitu maxime horrendos perpessa erat paroxysmos; oriebantur quippe ructus & singultus adeo velocissime & violentissime sese invicem insequentes & alternantes, ut omnia pectoris & abdominis contenta per fauces jamjam proruptura ferè jurasses, unà cum jectigatione totius corporis adeo enormi, ut duo robusti rustici unà cum matre præsentes vix quidem ad eandem sustinendam sufficerent, contorquebantur etiam facies & oculi torvissimo modo. Ingenue fateor, me hisce visis non parum mente fuisse commotum, & nisi partim ex propria, partim aliorum experientia & observationibus mihi constitisset, quam horrendas possint motus convulsivi excitare tragœdias, fermè similem de morbo magico concepissem suspicionem; ast cum viderim paroxysmos creberrimos quidem, (intra dimidiæ quippe horæ spatium quinquies hoc modo corripiebatur) sed non diu durantes, post paroxysmum rationem integram, faciei torvitatem in serenam ttansmutationem, animum & mihi & præsentibus erexi, sperans, medelam divino adspirante Numine adhuc affuturam; attendebam quippe, primum mali insultum cir-

ca ventriculum initia sumere, hinc materiam peccantem & saburram humorum vitiosorum in primis viis latitare haud vano augurio judicavi, quæ genus nervosum vehementer irritando & vellicando tantas excitet ærumnas, unde ad has eliminandas seq. potiunculam unico haustu sumendam præscripsi:

Rec. ♀ emet. gr. ij. rad. ari gr. iv. ▽ Hyperic. Sir. Cichor. c. Rhab. a. ʒvj. M.

Pro generis nervosi vero confortatione & motuum convulsivorum mitigatione mixturam antispasmodicam, cochleatim sumendam:

Rec. pulv. epilept. March. Specif. ceph. Mich. an. ℈ij. ▽ Melifs. Hyperic. Pœon. an. ℥ij. Epilept. Lang. Sir. Pœon. an. ℥ß.

Ex quorum usu non solum copiosissima bilis æruginosæ quantitas ἄνω καὶ κάτω expurgata, cum maximo ægræ levamine, sed & post mixturæ usum bis iteratum omnis paroxysmus plenariè evanuit, ut ab illo tempore jam per quadrimestre ex divina gratia optime & sanisſime valeat.

# *OBSERVATIO XXX.*

## Dn. D. Johannis Andreæ Vsenbenzii.

## *Partus octimestris vivus, frigidus & rigidus.*

OCtimestrem fœtum rarenter, imo secundum Hipp. Lib. de Carnib. §. 22. & Lib. de Octimestr. Part. plane nunquam esse vitalem, plurimi tam veterum quam recentiorum confirmare contendunt, quorum rationes exquisita uti solitus erat, lance, acutisſimus quondam Proto-Medicus Romanus Paulus Zacchias in Quæst. Med. Leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 4. examinavit

vit. Quæ nostra hac in re sit sententia, lubentes prætermittimus, ne à propositi & tituli meta nimis avertamur. Casus autem, quem optimâ fide propono, talis est: Pepererat quippe in Nosocomio nostro, die 7. Oct. 1718. gregarii cujusdam militis uxor circa finem octavi ab imprægnatione mensis partu satis molesto filiam; quamprimum autem obstetrix officio suo gnaviter fungens eandem susceperat, stiriam quasi se suscepisse statim asseverabat, non solum ratione frigiditatis intentissimæ, sed etiam rigiditatis plane insolitæ & quasi ligneæ, ut ne buccis quidem forti quamvis manu fovea notabilis imprimi potuerit, verbo, tota corpusculi compages erat adinstar carnis fumo valde exsiccatæ & induratæ; hinc nisi respiratione, eaque admodum levi, vitæ præsentiam prodidisset, verè jamjam demortuam omnes firmiter credidissent. Quo igitur in tenellum hunc, cætera tamen optimè formatum, nec nimis ἄσαρκον fœtum omnis debita & sollicita cura impenderetur, calidis linteaminibus involutus, imo & ad fornacem positus, optime & blandissime fovebatur, attamen uti statua lignea à calore quidem incalescebat, ab eodem vero remotus citius eadem refrigescebat, rigore à capite ad calcem continuo perennante, in quo etiam statu per integrum triduum sine cibo & potu, cum maxillæ præ rigiditate diduci nequiverint, permanebat, quo absoluto animulam suam sine sensu & motu, ne ullo vagitu quidem, Creatori à quo accepit placidissime reddidit. Raram certè notatuque dignissimam judicavi hanc observationem. Perquam notæ quidem mihi sunt historiæ embryonum in utero materno induratorum imo petrefactorum, qualem Marcellus Donatus in Hist. med. mirab. Lib. 7. cap. 2, & Sennertus Lib. 4. Prax. part. 2. Sect. 4. cap. 8. ex Joh. Albosio descripserunt; Indurati item fœtus historiam tradit D. Jo. Christoph Bauzmannus in Eph. Nat. Cur. Dec. 3. A. 7. & 8. obs. 24. sed mortui & gelidi, D. Alph. Khonius Dec. 3. A. 5. & 6. obs. 80, pariter mortui; de vivi vero, quamvis minus vividi fœtus tantâ frigiditate me neque audivisse neque legisse,

gisse, variis quamvis sollicite erutis observationum documentis, unquam recordor.

In causas insoliti hujus & certè admirandi partus inquirens, varias quidem sum meditatus, attamen utrum ἀκριβείας Lydium sustineant lapidem, illorum quorum ex meliori luto finxit præcordia Titan, investigationi & enodationi sublimiori relinquo.

Utrum imaginationi, in gravidis aliàs multa potentis, aliquid sit adscribendum, haud plane inficias iverim, quamvis ex puerperâ nil planè expiscari potuerim; cum vero illa Romano-Catholicorum religioni firmitèr sit addicta, in quorum Templis communiter copiosissimus Imaginum, Sculptilium & Statuarum numerus reperitur, ex quorum attentâ, vel religiosâ contemplatione, rigorem fœtui communicari potuisse, non adeo absonum esse judicarem. Si verò hæc displiceant, & via plane naturalis, imo potiùs præternaturalis in puellæ hujus formatione irregulari sit investiganda, optime forsan in matris fœtum hunc foventis temperamentum & constitutionem fiet inquisitio; est autem tenerioris & siccioris corporis habitus, quod etiam ex lochiorum totali ferme defectu non vanus concludo; hinc ob temperiem sanguinis crassiorem & viscidiorem matris, talem etiam fœtui communicari debuisse necesse est. Ubi autem sanguis crassus & viscidus, ibi minor motus; ubi minor motus, ibi minor calor, & potius frigus; ubi frigus, ibi rigiditas; & quo illud intensius, hæc quoque major. Quæ omnia sibi invicem rite conjuncta, præprimis si embryo, quod forsan nemo negabit, in claustris maternis ægrotaverit, majorem opinionibus hisce probabilitatem afferent. Sed, uti suprà innui, meliora à doctioribus expecto.

OBSER-

# OBSERVATIO XXXI.

## Dn. D. Johannis Andreæ Uſenbenzii.

## *Ulterus ſcirrhoſus & ſanioſus.*

UTerum monſtroſæ magnitudinis Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. 1. Obſ. 128. & ſteatomaticum Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ. 152. annotarunt. Licebit forſan hiſce addere uterum partim ſcirrhoſum, partim putridum multaque ſanie repletum. Textoris quippe Ulmenſis Martin Mäurers uxor 33. annorum ſex liberorum mater denuo gravidam ſe eſſe non ſolum firmiter credebat, ſed & obſtetrices melioris notæ id pro certo aſſeverabant, cum venter ſenſim intumeſceret, & ſororiæ mammillæ incrementum aliquod ſumerent. Intra vero hoc tempus ſupervenerunt atrociſſimi infimi ventris dolores, quibus profligandis hinc inde, uti plebis mos eſt, varia conquirebantur auxilia; aſt omnia incaſſum, usque dum ventre in immenſam molem aucto, dolorumque acerbitate viribus exhauſta vitam finire cogeretur. Ut autem innoteſceret, utrum gravida fuerit, d. 23. Oct. ad cadaveris ſectionem invitabar, unà cum Chirurgo Michaele Krebs, præſentibus ſimul duabus matronis obſtetricantibus, quæ adhucdum nil minus quam de graviditate dubitabant, cum in latere dextro embryonis caput tactu ſe percipere firmiter contendebant. Aſt ego aliud vaticinabar, & partim hydropem, partim ſcirrhoſum quendam tumorem latitare ex abdominis enormi vaſtitate pro certo aſſeverabam; id quod & ſectio comprobavit: Siniſtro quippe eoque inferiore abdominis latere aperto, ſtatim aqua hydropica flaveſcens maximo prorumpebat impetu, quæ collecta 14. libras civiles ſuperabat. Reſerato per totum abdomine, conſpectui ſtatim ſe ſiſtebat uterus, totam ferme abdominis cavitatem adimplens, reliqua viſcera diaphragma verſus protrudens, inæqualis ſuperficiei, ex inflammatione val-

de rubicundus, qui, cum in ſiniſtro latere mollis eſſet, & tactui cederet, in binis locis quaſi ſacculis ſibi invicem cohærentibus apertus, copioſam ſaniem ſatis fœtentem fundebat, quæ itidem collecta, undecim ferme librarum pondus adæquabat; aderant inſuper hinc inde tum in ſuperficie, tum in cavitate ejusdem variæ veſiculæ diverſæ magnitudinis, ſimili materia ſanioſa nec non pituitoſa repletæ, ne ullum autem embryonis veſtigium. Dextrum autem uteri latus totum quantum erat valde durum & ſcirrhoſum, in ſolidam & denſam maſſam compactum, hinc totum uterum ad latera non ligamentis ſolum ſed & peritonæo firmiter affixum ſeparavi, lance examinavi & ultra 15, libras pendentem deprehendi. Plura rimatus eſſem, aſt mariti & cognatorum vana & præpoſtera in defunctam religio manum de tabula jubebant.

*(Ulma Auguſtam Vind. d. 10. Febr. A. 1717. miſſæ.)*

*Haud ita diu poſt ab Excellentiſſimo Dn. D. Riedlino communicatas has Obſervationes, Dn. Auctor febre maligna petechiali correptus, cum vix trigeſimum ſextum ætatis annum compleviſſet extinctus fuit.*

## OBSERVATIO XXXII.

### Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

### *De Globi lucidi meteoro.*

Globus lucidus Tubingam nuper prætervolans, cum illuminatione ædium oppoſitarum, ad claritatem qs. lunæ plenæ comparatam, dicitur ab aliquibus meruiſſe nomen draconis volantis, quandoquidem autem quondam Ephemeridibus noſtris inſerta fuit diſſertatio Kavinæ (quæ alibi citatur Montanari, & Gulielmini altera ad nos non pervenit) liceat etiam de

præ-

præsenti meteoro hic agere; explicatum, quomodò aliis alibi comparuerit illustre phænomenon, ut ex observationum collectione plurium perveniri possit ad rationes ipsius verosimiliores. Liceat ergò referre, quantum mihi hoc loco innotuerit de tam splendido meteoro, plenè quidem autoptes ipse ego non fui, in medio urbis, sedens ad mensam non in humili, sed altiore domûs contignatione versus meridiem super culmina oppositarum ædium altiorum lumen modò amplum, subitum, momentaneum, gemini instar fulguris, coloris coerulescentis, conspicatus, nullo planè exaudito sono, omnem mox viciniam tanquam à fulgore insolito commotam & excitatam audivi, eò magis, cùm prospicientibus cœlum quâ patebat appareret serenum, stellis plenum micantibus. Hinc autem quærendo passim, quibus liberior in campum prospectus, negare nequeo, nimiâ relationum varietate me ferè confusum, certi præcisè parum eruere vel determinare potuisse, adeò non consentientibus spectatoribus, ne quidem vicinis, quanto magis sub situ diverso aliis sibi contradicentibus, inprimis in modo & motu, ejusque termino à quo, ad quem: Huic fuit cœlum qs. apertum, hiatus, ex quo effusus veluti ignis; Illi globus visus rectà deorsum lapsus; alteri trajectio oblongæ trabis obliqua; alteri motus à meridie versus ortum; cui tamen ita contradixerunt plures, ut non potuerim non contrarium admittere. Denique fuerunt, qui non sine sono stridoris hoc factum fuisse prætenderunt: alii nil quidquam se audivisse, utut ita constituti, ut audire potuerint, debuerint, fuerunt contestati.

Quàm bene ergò, quòd fortè fortuna ex Magistris Astrophilus, amicum ipsâ præcisè dicendâ horâ ducens stellatum, (sit venia verbo, quæ datur euntibus herbatum) in alto ædium versus campum planè liberarum hoc ipso testis idoneus vidit omne spectaculum, & narravit in hunc modum: Sc. in viciniâ Cordis Hydræ, non altius, non propius ad vicinum tunc Jovem, ortam fuisse lucem improvisam, modo vix alio, ac soleat

 stella

ſtella cadere incipiens, conglobatam, & mox aſpectu ampliore multò Veneris jucundo motu leni æquabili horizonti parallelo transverſim trajeciſſe verſus Sirium, quò tamen non pervenerit, viſam majorem in fine ac principio, ut nec aſcendiſſe, ſic nec delapſam, ſed diſparuiſſe ſubitò, & humilem tenuiſſe ſitum, plus minus graduum viginti; Traxiſſe qs. caudam, reliquiſſe tractum albicantem, ſed durationis perbrevis, ſuperſtite tamen ut videbatur ibi velut fumo tenui nigricante. De ſono, de ſcintillis, diviſione, nihil; cautè diſtinguendo ſonum præterfluentis Nicri nocte ſilente. De amplâ autem valle, hanc fuiſſe velut à lunâ plenâ longè lateq; omninò illuminatam. Mirum, ſpectatores alios in collegio eodem voluiſſe vidiſſe colores iridis ſub motu hujus globi: In alpibus nobis verſus meridiem propinquis altis globum in fine viſum non manſiſſe integrum, unum, ſed diviſum in duos tresvè. Tandem pleriſq; placuit comparare phænomenon cum pyrobolo, raket, fatentibus tamen globum benè majorem, & lineam non fuiſſe projectionis ſurſum; Et cœlo quidem ut dictum ſereno voluit quibusdam verſus meridiem juxta tractum iſtum haberi pro certo, ſtellas ibi minus indè potuiſſe conſpici. Pro clauſulâ, vulgus indè frigus, ſed annum porrò fertilem, ſibi promittit.

Obſervatum fuit hoc die 22. Februarii, cinerum, & cathedræ Petri, anni hujus 1719. noctu ante dimidiam nobis teſte quidem horologio octavam; quarto poſt NL. ad quem attendi voluit Virgilius in Georgicis. Sub Saturno, modò ſtationario, jam incipiente retrogredi. Poſt Jovem nuper Veneri, jam Soli oppoſitum Regulo propinquum. Tempore ſive menſe præter morem non hyberno, ſed lutulento. Plerique tunc dies manè nubili, humidi, à meridie ad veſperam clariores. Sic ille ipſe dies 22. habuit tres irides, matutinam, pomeridianam, & veſpertinam: ſc. ad hor. 5. veſp. ex Weſt atræ nubes, planè ut tempeſtuoſæ æſtivæ, tulerunt imbrem, cui ſupervenit iris perpulcra. Indè principium ſerenitatis, cùm paucæ ſupereſſent verſus NO. nubes, &ruberent, ſuccederent poſt-

poſtmodùm ex Weſt aliæ, etiam ſubrubentes. His ergò diſcuſſis, inter hor. 7. & 8. micantibus ſtellis, ſerenum erat cœlum, cùm fulgore iſto excitatus proſpicerem, ne nubeculam quidem vidi. At ſequens mane habuit cœlum iterum nubibus obductum, quæ tamen iterum diſcuſſæ reliquum diei dederunt ſerenum. Indè dies nubili, pluvioſi, nivoſi, tandem ult. Febr. plena hyems, cum gelu. Sic ſ. Matthiæ fecit glaciem, quam non invenerat. Baroſcopium à die 19. Febr. lapſum ad imum, imò infra imum ſuæ ſcalæ, per diem 22. non ultrà venerat in altum, ac ad ſecundùm & tertium gradum, & altero mane ad quartum; non niſi die ult. Febr. pertingens ad duodecimum; cùm aliàs ſuprema omnium ſtatio ſit graduum viginti: juxta pag. 53. app. E. N. C. cent. 4.

Hoc eſt leve ſymbolon, ad formandam hiſtoriam conferre quoad poſſum: Ad alteram partem ætiologicam non auſim progredi temerè, phyſico-mathematicis locum eſſe concedendum ratus. Liceat tamen & circa hoc punctum proponere aliquid, quod ab illis mereatur vel confirmari, vel confutari. Scil. qui ab Ariſtotele quid diverſum proferat, vix novi quenquam: Perinde enim omninò fore videtur, ſ. quis dicat accenſam exhalationem ſiccam, fumum, ſ. ſulphuream, pinguem; res redit omnis ad meteoron ignitum, ſi vel maximè fuerit rarior, tenuior, ſubtilior, fulguri ſimilior quàm fulmini. Keplerus utique ad Ephemer. anni 1623. d. 17. Nov. Meteorum ignitum, globus ardens, ab occaſu in ortum volans, totâ paſſim Germaniâ fuit conſpectus. In Auſtriâ etiam fragorem exauditum affirmarunt, qs. à fulmine; quod vanum tamen puto: nihil enim tale confirmant deſcriptiones, quæ extant. De ortu ambigo; fueritne incenſio à circumſtanti frigore, materiæ viſcidæ & oleoſæ, ut eſt cum trajectionibus vulgaribus: anne potius dicam; incenſam in viſceribus terræ, eâque crepante, in immenſam altitudinem exploſam; ex quo niſu, viſcerum veluti parturientium, ille horror & illa ſudatio extraordinaria à die 8. in 17.? Et Kavinæ Fax, ſeu

Lampas volans, magnum meteorum, visum post occasum Solis, d. 31. mart. 1676. per Italiam, occasione terræ motûs disruptis his compagibus natum, & instar bellicæ pilæ, bombæ, ejaculatum, ignem admisisse, flammam concepisse, dicitur, ex sulphure & halinitro concretum, conflatum, accensum, & evectum, descripsisse motu suo lineam parabolicam. &c.

Verumenimverò liceat hâc occasione quærere, utrum in publicum non enotuerit sententia, benè recedens à priori, omnino singularis, viri quondam jure suo celebris: Fuit is Noster quondam Wilhelmus Schickardus, Lingg. Or. & Mathes. (miro nexu) Professor, in medio optimæ spei promovendarum illarum præmaturo fato abreptus, Moestlini & Kepleri discipulus, nec Gassendo in Vitâ Peireskii, nec Cartesio in epistolis, sine laude dictus. Hic nobis reliquit scripta meteorologica tria, singula digna, quorum adhuc fiat mentio: sc. claritatem borealem fulgurantem anno 1630. vidit magis attonitus, ac Ille. Duos Parhelios observavit anno 1633. & constituit in loco intersectionum halonis & circuli horizontalis, rationem hujus schemate optico-geometrico exponens. Prior igitur ordine fuit Globus lucidus, 7. Novembris anno 1623. cœlo sereno conspectus, quem avtoptes ita descripsit, singulari quidem libello in vernaculâ, ( quæ causa videtur, cur minus attendatur, minus sit cognitus, ) ut mereatur ferè post seculum revocari, datâ occasione spectaculi adeò similis. Quod ipsi ergò primo fuit proprium, erat recessus à communi scholarum sententiâ: Negavit, & rationes suæ negationis exposuit fortes, fuisse meteoron ignitum, non admisit ignem, flammam, materiæ inflammabilis accensionem vel deflagrationem, apparentem non verum prætendit fuisse delapsum, &c. Regessit & substituit Globum, non tam lucidum, quàm illuminatum; à quo, nisi à Sole; extingui visum, cùm immergeretur in terræ umbram &c. Ita paucis multa; sc. commendandum & evolvendum censeo scriptum ipsum. Ex quo duo saltem adhuc addo ad historiam: Visos & ipsi quondam Iri-

dis

dis colores; & bonâ fide relatum, globum apparuisse in fine divisum in duos inæquales.

Hoc paradoxon decursu tot annorum & per observationes plurium subindè talium globorum fuisset utique examinandum diligentius: (maximè cûm cæteri non à Sole ab occasu ad ortum, sed ab ortu ab occasum versus Solem fuerint moti.) Cùm tamen ne quidem habeamus talium per annos apparentiarum justum catalogum. Præter alios, nostrâ memoriâ visos vel auditos, ut talium numerus compleatur ternarius, citabo similem ex vere anni, cujus autumnus tulit nobis malorum multorum & longorum principium: A. 1688. d. 17. Apr. st. v. visus Heilbronnæ, Tubingæ, Ulmæ, & nescio quousque manè inter hor. 2. & 3. atque ita horis duabus cum dimidiâ ante Solis ortum, cœlo sereno ex Sudwest per Eclipticam circa decimum gradum Arietis à Ceto ad alas Pegasi versus Nord-Ost cum tanto splendore, ut terram instar plenilunii illuminaverit, cursu non adeò celeri, sed ita dictis stellis cadentibus simili, in minimum triplò diametro Veneris prætervolare. Reliquit pone se caudam instar lanæ candidam, quasi vento pulsam, ut post quadrantem horæ adhuc visibilis à septentrione versus ortum incurvatum arcum extenderit. &c. Ceu in calendario quidem ad annum sequentem id annotavit Honoldus, Professor quondam Ulmensis.

Quod autem operæ fuisset pretium, & esset adhuc, non prætermittere talia, globorum talium magnitudo, amplitudo, altitudo, major omni meteoro, nube, fulmine, &c. docebit, si audias viros laudatos. Ille Schickardi tam Argentinæ visus quàm Viennæ, & ex calculo ipsius videri potuit per tractum terræ 183. mill. germ. Diametrum 4000. pedum: Altitudinem 20. mill. germ. Alter Kavinæ calculo visibilis plus 950. mill. Ital. Diametrum unius cc. mill. Ital: Altitudinem 90. vel 120. mill. Ital. habuit. Non mirum ergò locatum fuisse istum à Nostro globum in æthere, (certè ab Aristotele videntur tales constituti ibi, ubi suum ignem sublunarem

rem voluit, supra aërem, in loco exhalationis calidæ & siccæ) noluit tamen in altiorem, quia visus fuerit bene in longum, ab occasu in ortum, sed non æque in latum, ad meridiem vel septentrionem.

Supersunt duo Schickardiana, globi materiam & motum quæ concernunt. Confidenter ipse tum provocavit quoscunque (liceat repetere hoc postulatum) quis ullibi unquam revera observaverit ignem delapsum? Errori tali optico substituit trajectionem horizonti parallelam; Eò usque singularis, ut in æthere fuisse & mansisse globum istum voluerit, vel quo devenerit, quid cum ipso fuerit factum, se nescire fuerit professus, deciduum certe non agnovit, nec apud nos, nec alibi, locis etiam dissitis.

Si porro non fuit sulphur accensum, qualis ergo juxta Nostrum massa illius globi? Hanc utique voluit mollem, liquidam, simul & aliquantum viscosam, totam pellucidam, cui nihil opaci à tergo, ut tota potuerit à Sole illuminari, lumen ejus reflectere non à puncto, sed à globo toto, ut aquam spongia, sic illa lumen qs. imbiberat intimè.

At iste quidem materiæ modus non potuit non & olim & nuper revocare in memoriam illud liquamen viscidum, mucilaginis instar vel gelatinæ, oblatæ quondam & venditatæ à ruricolis pro stellæ cadentis purgamento, Sternbuzen. Quamvis Noster multis modis globum lucidum rarum à frequentiore stella cadente voluerit distinctum, processisse tamen hoc videtur ex hypothesi, ab eo non admissa, qs. pro hac ignis revera delaberetur; imo, ut dictum, plane nihil in suo phænomeno deciduum admisit. Liceat ergo quærere: An & quæ inter stellam trajicientem, discurrentem, & cadentem sit differentia? Alteri enim massa illa viscosa negari nequit; alteri apparitio, trajectio, disparitio cum globo est plane similis.

Qui plura volet de isto stellæ jaculo, vel qs. tali, præter Brunonis Lexicon, sub Cœlifolio & Nostoch Paracelsi, evolvat fasciculum Medicamentorum Cnoëfelii in app. E. N. C. 8. p. 194.

p. 194. unde conſtabit, notiorem fuiſſe illam gelatinam vulgo, quam ſcholæ; in ſyſtematibus Phyſicorum vix reperitur. Addat autem omnino Obſ. Menzelii, in E. N. C. II. IX. ubi tres circumſtantiæ notabiles: ſc. ſtella cadens ſplendorem ſuum in terram usque ſervavit; in terra adhuc ab aſtrorum luminibus reſplenduit; (& Mercurius in baroſcopio dubie Phoſphorus, an radios evibrando, vel ſaltem reflectendo?) & hic ſtellæ marinæ comparuit ſimilis. Atqui Dortous de Mairan in memoir. d. Trevoux 1717. Novembr. talem proponit pulmonem marinum, dubie pro piſce vel excremento viſcoſo maris habitum, & addidit: il eclaire la nuit, il rend lumineux les corps, qui en ſont frottés; il y excite dela demangaiſon, & en fait tomber le poil. Gesnerus ex Plinio: Pulmone marino ſi confricetur lignum, ardere videtur, adeo ut faculam ita præluceat. Et plura ex Kiranide. Fluddus aliquando ignem fatuum aſſecutus, comperit illius materiam non igneam, ſed viſcoſam, lubricam & candidam, nigris maculis inſperſam, ſed hoc ipſo vix fidem invenit, quam ſc. in dubium vocavit du Hamel d. meteor. qui porro: Fieri poteſt, ut ſtellæ cadentis reliquias pro igne fatuo contrectaverit; nam illæ ſunt viſcoſæ, & lubricæ, ut experti teſtantur.

Plinius hanc naturalis hiſtoriæ partem non prætermiſit, ſed exemplis in Græcia & Italia obſervatis declaravit. l. 2. c. 26. 33. 4. 5. 6. unde tria notari poſſent; ſc. quod facem in ipſo gladiatorum ſpectaculo præter ora populi meridiano transcurriſſe; ſcintillam è ſtella cecidiſſe, auctam cùm terræ appropinquaret, ac poſtquam in lunæ magnitudinem facta eſſet, illuxiſſe ceu nubilo diei, deinde cùm in cœlum ſe reciperet, lampadem factam fuiſſe; ( quale vero fuit illud monſtrum, ſive qua vel fide vel phantaſia viſum aut ſcriptum, ex quo flamma devolavit, rivum exhauſit, agri fructus abſumſit? Jonſton. thavmat. p. 100. ſub cujus tamen finem ſunt, quæ huc ſpectant) diſcurſus tandem ſtellarum nunquam temere fieri, ſcripſit, ut non ex ea parte truces venti cooriantur, & iis tunc pro-

procellæ in mari terrisque &c. Capite autem octavo redarguens vulgi opinionem, qs. ſidera ſingulis attributa forent hominibus, clara divitibus, minora pauperibus, obſcura defectis, quia non cum ſuo quæque homine orta moriuntur, nec aliquem extingui decidua ſignificant, ſubjungit: Illa nimio alimento tracti humoris igneam vim abundantia reddunt, cum decidere creditur, ut apud nos quoque id luminibus accenſis liquori olei notamus accidere, ſc. videtur æque ac Ariſtoteles meteor l. 1. c. 4. præter ignem & aquam dediſſe tali phænomeno. Forte, ut Greidanus, ſtellæ cadentis reliquias dixit, quæ flamma conſumi non poterant, in terram delabentes, gelatinæ ſpeciem referre. Qua forſan ratione ſententiarum contrariarum quædam tentari poſſet conciliatio. Utrum vero tale quid vi quacunque elevari poſſit ſurſum, ubicunque iterum dimittendum, quis determinabit?

Felix Poëtæ ingenium & in hoc themate ſe quondam exercuit. Inter fatalia Cæſaris & belli civilis injurias ad finem primi Georg. Non aliàs cœlo ceciderunt plura ſereno Fulgura; nec diri toties arsére cometæ. Atqui globis iſtiusmodi hoc proprium magis eſt, ut ad ipſos recte conſpiciendos qs. cœlum ſerenetur, & error non infrequens, voluiſſe ipſos confundi cum cometis. Quam vero graphice propoſuit hoc phœnomenon: *Sæpe* etiam ſtellas vento impendente videbis præcipites cœlo labi, noctisque per umbram flammarum longos à tergo albeſcere tractus. Porrò, mixtura quædam ſtellæ cadentis & fulminis occurrit l. 2. Æneidos, ubi poſt ignem lambentem Juli, ad preces Anchiſæ, ſubitóque fragore intonuit lævum; & de cœlo lapſa per umbras ſtella facem ducens, multa cum luce concurrit. Illam longa ſuper labentem culmina tecti cernimus idæa claram ſe condere ſylva, ſignantemque vias; tum longo limite ſulcus dat lucem, & late circum loca ſulphure fumant. Quam de fulmine hic odor certus eſt, tam incertus de ſtella cadente. Tertio l. 5. Æneid. aliud augurium. Telum Aceſtis ipſo motu per aërem arſit.

Volans

Volans liquidis in nubibus arsit arundo, signavitque viam flammis, tenuesque recessit consumpta in ventos, celo ceu sæpe refixa transcurrunt, crinemque volantia sidera ducunt. Ubi commentator: ex vulgi, putantis revulsas è cœlo stellas cadere, opinione de meteoro stellæ cadentis. Quæ si non cecidit, potuit cecidisse videri.

(*Tubingâ Augustam Vind. d. 13. Mart. A.* 1719. *missa.*)

# OBSERVATIO XXXIII.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Luxatio Ossis humeri, spinæ ventosæ & hydropis lethalis causa.*

LUxari aut sede sua moveri ossa quævis fere, in loco connexionis cum vicinis, notius est, non vulgo solum, sed & Medicis, præcipue Chirurgis, quam ut ulla indigeat probatione, & eandem luxationem esse vel perfectam, vel inchoatam solum & dimidiam, subluxationem vulgo dictam, Chirurgici docent libri, qui insimul multas earum differentias, maxime à situ ossis dislocati desumptas, in scenam adducunt suo videndas loco, ubi inprimis ut novitate, ita perfectione blanditur Opus Chirurgicum Excell. D. D. Heisteri, cujus part. 1. l. 3. de hac quæstione agitur. An à causa quoque interna, humorum præcipue affluxu, in articulationibus inprimis majoribus queant contingere? controversia est nondum, quod ego sciam, communi consensu decisa, nec mihi hoc loco disquirenda, cum interim mihi sufficiant quæ laudatum Opus Heisterianum p. 174. & 186. tradit. Nam plerasque, si non omnes luxationes à causa externa, eaque violenta, casu, distorsione, tractione justo fortiori, impulsu rerum durarum impetuosiori ortas communiter statuunt; utut non semel, ne quidem ægroti, taceam adstantes, ejusmodi violentias vel observent, vel Me-

 dicis

dicis & Chirurgis detegant; ut proinde latus erroribus pateat subinde campus, & non semel utrinque cogantur ingeminare, odiosum alias & viro prudenti parum conveniens: non putaram. Cujus farinæ quatuor, præter alia non pauca, liceat hic proferre exempla. Puella 12. annorum, viri pauperrimi & durissime vitam sustinentis, proletarii tamen, adducitur ad Medicum ex mandato Magistratus inspicienda; alias enim parentes, vel ob egestatem, vel hinc natum in suos duritiem, ne nunc quidem medicam implorassent opem. Axilla sinistra majori, quam caput ægræ emaciatissimæ, tumore prominebat, cum superiori parte humeri, ulceribusque duobus sinuosis, saniem non adeo malæ notæ fundentibus binis, profundis, & tertio in thoracis sinistro latere supra mamillam, ejusdem commatis perforata; plumbeo simul obscura erat colore facies, cum scabie sicca pruriginosa totius. Mater, quæ illam adduxerat, interrogata de prima origine mali, respondit; olim non semel afflictam fuisse achoribus capitis, sæpius iterum sua diligentia siccatis. Ante biennium observatos rursus in collo tumores inflammatos glandularum salivarium, achorum aliàs prodromos; his autem non erumpentibus, in suppurationem abiisse, plurima sanie hinc per longum tempus effluente, adeoque scrophulas vere exulceratas, mali alias ominis, ortas; nulla tamen Chirurgi, sed solius matris, industria, per varia domestica, rursus consolidatas, quod plures & deformes testabantur utrinque in collo cicatrices. Abhinc paulo post emersisse isthunc tumorem, jam ab anno, uti supra dictum, in ulcera degenerantem. De externa læsione interrogatæ mater & puella, vim sibi ullatenus factam negarunt. Purgata hinc, & inter alia quoque mercurialibus, diu bibit decoctum lignorum & Chirurgorum commissa est diligentiæ, sumptibus publice snppeditatis. Diu cum ea luctati sunt Chirurgi, & tumorem tandem axillæ multum imminuerunt, simul tamen deprehendentes, omnem mali culpam esse tribuendam luxationi ossis humeri, antrorsum factæ, utut mediocri, quæ prius ob tumo-

tumoris magnitudinem observari non poterat, (puella vero tum demum fatente, se jam ante biennium ex scala ancipiti delapsam, humerum sinistrum valde contorsisse.) Ego hinc statim spinam ventosam si non subesse, tamen ante portam stare, conjeci, quod & eventus docuit. Nam ulcera, quicquid molirentur Chirurgi externâ, Medicus internâ curationibus, nullam promittere volebant consolidationem, puella vero indies magis ad cachexiam properabat, pedibus primò tumore œdematoso, sensim crura quoque distendente, cum hectica in superioribus macie, & tandem hydropico abdominis tumore aggravata, succedente diarrhœa colliquativa, nunquam constanter compescenda, fatis concessit. Post mortem secta, exhibuit abdomen multo sero lurido, & parum fœtente plenum, omentum extenuatum, & versus ventriculi fundum retractum, mesenterium vero præter spem & opinionem valde pingue, hepar pallidum & satis adhuc molle sed undique peritonæo & diaphragmati per fibras validas adnatum, quod idem in liene observabatur. Renes erant mediocres, nulla intestinorum inflammatio, ventriculus aqua pota plenus, ejusque sphincter adeo resolutus, ut hæc, illo parum presso, per os statim regurgitaret, folliculus fellis major longe justo, non bile sed sero subluteo plenus, sine arena & calculis. Os humeri sinistri anteriora versus luxatum; magnitudine duplo, quam natura fert crassiori, substantia vero ita molli, ut medullam potius, quam os referret, atque cultello anatomico facillime discindi, imo corneum hujus manubrium sine violentia profunde intrudi posset, idque cubitum versus ad palmæ latitudinem; inferius erat debite solidum. Idem, sed minori spatio occurrebat in cervice scapulæ, quæ ossa utrinque quadam quasi medulla cruenta erant farta. Quacum historia si conferas spinam ossis calcis ventosam in Joh. Horne microtech. p. m. 132. prolixius descriptam, melius forsan, quæ hic desunt, intelliges.

# OBSERVATIO XXXIV.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Subluxatio ossis femoris, cum succedente spina ventosa, abscessu mucocarneo & hydropis initio, lethalis.*

JUvenis annorum 16. natus patre arthritidi spasticisque affectibus obnoxio, matre ad rheumatismos prona, sanis alias ad speciem, precibus à parente, ut Icarus ab Apolline, obtinuit, ut equum Affini adducendum liceret ipsi conscendere, & alteri equitem accedere. Quod quidem feliciter satis cessit; cum autem in reditu pediti esset iter faciendum juveni, cœlo pluvioso & via lutosa, misertus est ipsius Affinis, & ubicunque per honestatem academicam, ut putabat, licuit, à tergo pone se permisit equum conscendere, quod adeò pluries eo die factum. Erat autem juvenis iste satis quidem procerus, sed gracilis & tener, adeoque non parum incommodi ex toto sustinuit itinere, & diebus aliquot postea claudicavit, locum vero dolentem nullum præ alio vel sensit vel indicavit, unde omnia neglecta, præsertim cum paulo post claudicatio sponte cessaret. Semestri postea rediit claudicatio, absque ulla causa externa, tumore aut rubore, juvenis vero querebatur de transitorio primum, hinc fixo ischii sinistri dolore. Adhibitis autem purgantibus & diaphoreticis internis, cum externis discutientibus & paregoricis rursus omnia sunt sopita. Denuo elabitur semestre, cum redirent modo dicta, (re non parum miranda, quod verno & autumnali tempore semper accideret;) nec prioribus, eadem licet diligentia & methodo, majori etiam constantia, diu adhibitis, cedere voluerunt, habita nunc pro ischiade. Adiit hinc ex medici consilio thermas Rietenavienses, satis in hujusmodi affectibus celebres, eo cum successu, ut brevi dolor, hinc & claudicatio

tio cessarent, ipseque ad lares non modo patrios per sesquimilliare, sed biduo post ad metropolin per tria milliaria pedes rediret. Talis mansit ad autumnum usque anni præteriti, ubi rediit primò dolor tolerabilis cum claudicatione, quæ tamen indies ita augebantur, ut ministerio (mercator futurus) non amplius vacare posset, hinc ad penates paternos reduci opus haberet. Medicus consultus, cum nullius plane, præter dictam equitationem, incommodam magis quam nocivam, læsionis mentio fieret, assensum præbet ab initio opinioni de ischiade, atque ex methodo facit, quæ videbantur opus. Cœpit autem pes elongari sensim, ut eo nisi protenso, & pedis mensura ante sanum dextrum posito, erectus stare non posset, quod sæpius tum à Medico tum ægroto suisque observatum est. Continuata hinc quævis ischiadica nihil profuere, ut de empiricis, more solito sed pessimo, cogitarent parentes, & ab eorum uno unguentum quoddam contra atrophiam, quam causabatur empiricus, acciperent; quo bis terve inuncto plurimæ in toto crure exortæ sunt pustulæ pellucidæ, summè ardentes, ægro tamen lætæ, quod has, ut optimum futuræ curationis signum, prædixisset empiricus. Medicus autem forte accedens, illas deprehendit esse à vesicatorio, & in unguento invenit reliquias scarabæorum hic loci famosorum, quos vocant Schmalzkæfer; Dolor vero ab hoc unguento non est imminutus, sed auctus potius, unde & illud rejectum, pes autem in tarso & metatarso valde intumuit œdemate, sensim vero rursus subsedit, dolore ischiadico continuante, & pede semper longiore aliquantum socio. Quinquemestri ante obitum medicus eum denuo visitans invenit stantem & scipioni hispanico innixum, pede autem sinistro jam non protenso, sed retracto & breviori, ad minimum duobus pollicibus, dextro. Quod, ut novum, miratus, interrogat ægrum, æque ac parentes ejus, de nova læsione quacunque, vix autem extorquet, ægrum decendio ante, ope scipionis, aculeo in imo non muniti, per planum areæ, asseribus stratæ volentem incedere,

dere, illo gliscente, lapsum esse pronum, sed sine evidenti læsione. Ab eo tempore ipsum quoque observasse pedem sensim factum esse breviorem. Cogitatum hinc de qualicunque luxatione, acciti duo chirurgi, deprehenderunt pedem, non in planta modo sed & genu cum sano collatum, ultra duos pollices breviorem esse sano, sine ulla in dictis partibus apparente læsione. Inspicitur ergo ischium, idque pugni puerilis magnitudine videtur protuberare versus exteriora, præ sano. Hinc votis communibus conclusum, requisitis etiam consiliis aliorum, subesse luxationem femoris extrorsum superiora versus, tentata itaque repositio per lentam, ope trochleæ duplicis, **eines doppelten subtilen Flaschen-Zugs/** tractionem, & chirurgorum manus, sed frustra; quicquid enim clamaret æger, vel molirentur chirurgi pes brevior, & tumor ille in Ischio mansere, ægroto per triduum pejus non habente. Sed successit hinc novus tumor œdematosus, pedis non sinistri modo sed & dextri, sensim auctus. Usurpatæ hinc thermæ ferinæ, consulti omnes chirurgi, inquos miser incidebat, variabant sententiæ; Aliquibus luxationem defendentibus, aliis callum in acetabulo ischii enascentem & os cruris suo extrudentem loco; quodam etiam ossis cruris fracturam, repugnante licet ægro, aut certe istius epiphyseos à reliquo discessum, ad modum ferè Obs. 20. C. 6. E. N. C. causantibus. Rediit interim è thermis, quæ primum videbantur prodesse, pejor quam adierat, hinc citis passibus subrepsit tumor pedum verè hydropicus, tandem vesiculis subortis multum ichoris serosi fundens, cum hectica partium superiorum, tussi sicca inani, crebra, decubitu molestissimo, ut plures sedendo noctes cogeretur transigere; Tandem triduo ante mortem rursus decubuit, & d. 26. Octobr. 1718. placidè animam Creatori suo reddidit. Medicus sectionem cadaveris ut obtineret, omnem movit lapidem, vix autem, ob matris pervicacem in demortuum pietatem obtinuit, ut vesperi ad cade-

candelam loco maxime incommodo liceret crus læſum incidere, ut ad minimum de prima origine mali conſtaret.

Invenit 1. pedem ſiniſtrum, uti dictum, adhuc duobus digitis non in calce modo ſed & genu breviorem dextro.

2. Iſchion ſiniſtrum dextro plus duplo prominentius verſus exteriora & craſſius.

3. Nullam in oſſis ilii cum ſacro connexione pn.alem conſtitutionem, aut luxationem, mobilitatem tumoremve, quod tamen chirurgus quidam, brevitatis pedis cauſam eſſe urſerat, quicquid ipſi de firma nimis horum oſſium, in adultis præſertim, connexione, & violentiæ externæ defectu opponeretur.

4. In parte femoris anteriori verſus internam ſeu domeſticam tumor apparebat mollis, mediocris, oblongus, fluctuantem ſubtus materiam & hinc abſceſſum oſtendens, absque ulla rubedine vel duritie,

5. Quem ut vitaret medicus ſector, cutem exteriùs à margine oſſis ilii ad medium usque crus incidit, & muſculos ejus ſummè flaccidos atque extenuatos partim digitis partim cultelli manubrio corneo diviſit.

6. Tumque ex vicinitate muſculi promanare vidit pus album ſed aqueum, inſtar lactis ebutyrati, particulis quaſi pinguibus & caſeoſis refertum, plane non fœtens nec acre, ad quantitatem fere ſesquilibræ; cum relicta ſatis magna cavitate, verſus iſchium latiore, inferius contractiore, quam medicus digito percontans, penetravit absque ullo negotio in ipſum iſchii acetabulum, idque magnam partem vacuum invenit.

7. Hinc accuratius inſpecto cruris capite, illud interiora verſus à muſculis & membranis nudum aſperumque, exteriora verò verſus adhuc tendinibus & ligamentis tectum, ſed ad dimidiam fere partem extrorſum luxatum deprehendit. Detractis hinc, minori quidem labore, ligamentis invenit

8. Illud, quod hactenus pro femoris capite habitum fuerat.

raut, eſſe trochanterem externum ſ. majorem dictum, ad ovi gallinacei minoris magnitudinem, ſecundum omnes dimenſiones auctum, ipſumque caput femoris itidem plus duplo majus debito, utrumque molle, acie non cultelli modo, ſed & manubrio ejus, imo digito prementi cedens, nullam ullibi fracturam ejusve veſtigium, aut epiphyſeos ſeparationem, (quam ſector etiam fruſtra, manubrio cultelli profunde intruſo, vectis modo uſus, perficere tentavit) nullum ullibi callum, aut in iſchio fiſſuram, ligamentum verò rotundum plane arroſum & deletum. Friabilitas illa oſſis cruris palmam cum dimidia latam apparebat inferius, ubi ſenſim rurſus ſolidius erat os, inſtar ſani. Ex molli autem parte exprimi poterat medulla quædam cruenta, inſtar illius, quæ in oſſium plerorumque non concavorum meditullio reperitur ordinariè. Et hoc facto ſectioni finis erat imponendus, nec ullis precibus à patre adſtante potuit obtineri, ut femur oppoſitum ſanum, ad comparationem cum affecto inſtituendam, nedum corpus reliquum diſcindere liceret; ſatis interim habuimus detexiſſe nos ſpinam ventoſam & ſubluxationem, cum abſceſſu muco-carneo, multisque diffidentibus impoſuiſſe fibulam, & ſiniſtre judicantibus.

## SCHOLION.

SImiles fere caſus obſervaſſe videtur Chirurgus Anglus, *Cheſeldenus*, in Anatomia ſua Anglice conſcripta, quando pag. 30. ita ſcribit: *Quando à violentis contuſionibus, aliisve cauſis glandulæ in articulis ulcerantur, emittunt materiam acrem corrodentem, quæ erodit cartilagines oſſium, donec penetret in capitum eorum ſubſtantiam ſpongioſam, eamque totam carioſam reddat. Quando hoc malum in femoris junctura oritur, materia illa viam ſibi facit per ligamentum: quoniam acetabulum hujus articuli deorſum ſpectat; atque tunc pergit ſub glutæo maximo, verſus externam femoris partem, ſub tendine expanſo ſive aponevroſi muſculi*

faſcia-

*fascialis, sive fasciæ latæ. Qui vero casus sunt immedicabiles.*

# OBSERVATIO XXXV.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Subluxatio tarsi male tractata in spinam ventosam & anasarcam lethalem transiens.*

VIr quidam tricenarius, procerus, robustus & sanus aliàs, rigida hyeme, terraque gelu constricta currum sequens suum, in sulcum ante congelationem rota factum calcei parte elatiori, **mit dem Absatz**/ pedem ita demittit, ut retrahere non posset nisi magno cum nisu, & pedis aliquali contorsione. Mox abhinc claudicare, pauloque post domum claudus redire cogitur, curru equisque servo concreditis, dolens in tarso maxime. Chirurgus hic consultus non sane iners, observato tumore phlegmonode, non cogitat de ulla luxatione, sed erysipelas causatus, mox, ut solent, sed male nostri chirurgi, (quod toties, sed plerumque frustra, inculco) applicat decoctum nigrum Millandi, quod falso tribuunt Hildano, in cujus tamen operibus nusquam reperies, sed in Blancardi chirurgia, ubi majori cum specie veritatis Millando, Leovardiensi cuidam chirurgo adscribitur edit. german. p. m. 348. utut varient ejus descriptiones. In quod cum præter cætera non usquequaque convenientia ingrediantur quoque valde adstringentia, nemo non videt, ab eo lympham, in quavis luxationis specie, facilius forte quam ipsum sanguinem stagnantem, in lentorem quendam cogi, &, si non alia, certe humores quasi lardeos perpetuos cum immobilitate, nullis postea discutientibus resolvendos induci. Id quod & hic factum; dolore enim sopito, mansit tumor magnus in tarso, cum aliqua immobilitate & claudicatione. Cujus impatiens Patiens, incidit magno cum suo malo in chirurgum Stuttgardiæ tum vagantem, variisque technis famosum magis, quam celebrem,

Serp dictum; Qui nescio quam ex toto corpore in hunc pedem factam esse defluxionem causatus, calidissima suasit unguenta & olea, atque iis allitis pedem ad ignem violentissimum in fornace calcaria, tegularius enim erat ægrotus, quoad tolerare modò posset, foveret, oleisque ingressum, & materiæ collectæ fluxilitatem conciliaret. Paruit ægrotus, sed aucto non solum tumore, verùm & accedente phlegmone, vix iterum sine exulceratione sopienda, quæ tamen brevi successit. Nam paulo post chirurgus videns non succedere methodum institutam, suasit mercurialem salivationem, quam & æger magna constantia, majori tamen noxa sustinuit, tumore interim indies aucto, & tandem quinque in locis exulcerato. Hinc ad sympatheticas nescio quas & magicas curationes delapsus stentor, æger vero in manifeste apparentem cachexiam. Tum demum accersitur medicus, qui tamen præsentem quoq; postulat chirurgum; ex quo accedente quærit Medicus, quid hoc mali censeret esse, quam causam fingeret, & quid consultum duceret? sed pisce magis mutum & theoriæ chirurgicæ ignarum penitus deprehendit, loquacissimum aliàs. Excusabat vero se, utcunque poterat, & cras rediturum promittebat melius instructum. Quod cum fecisset, altero die Professorem magis quam chirurgum egit: Cum enim pridie spinam ventosam subesse intellexisset, nunc tanta cum facundia de isthoc affectu verba fecit, ut ex libro illum legere crederes, licet inepta non pauca immisceret; ut interea temporis vel ex libro vel à viro quodam chirurgiæ gnarissimo informatum fuisse oportuerit, ni ab ipso, quod aliqui suspicabantur, diabolo id factum est. Medicus pleraque cogitur approbare, ut methodo medendi consentanea, & tantum valuit apud adstantes chirurgi authoritas, ut isti vix relinqueretur locus anticachectica quædam & visceralia interna præscribendi, quæ tamen altero statim mane rursus æger repudiabat, solo sc. chirurgo contentus, ut in affectu externo, ad solos chirurgos spectante mansurus. Ita reliquit eum medicus cum prognostico,

non

non protracturum vitam in alterum abhinc annum, nisi tractaretur internis quoque, sed surdis narrat fabulam. Hinc cachexia indies aucta, cœpit primùm in læso, hinc & altero crure affligi œdemate, atque tandem, ut manum in pugnum colligam, toto corpore anasarcicus factus, ut saccum lana fartum potius quam hominem referret. Cum ultimo vitæ die revocaretur Medicus, ne sc. sine illo moreretur, indicat confestim, ex pulsu summè languido & intermittente atque extremorum sudorisque frigore colligens, ut animæ & suis consuleret, eo adhuc die moriturum, quod & cœlo vesperascente factum. Cadaver autem ut secaretur, Medico petenti concessum non est.

# *OBSERVATIO* XXXVI.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Spina ventosa lethalis in carpo sinistro.*

EAdem fere, sed breviora cum præcedentibus experta est fata mulier quædam in pago hic vicino. Hæc annorum 27. procera, robusta & alacris in lotione linteaminum, cum socia certavit de robore brachiorum, & utra alteri linteum manibus extorquere posset, convenit. Ut igitur firmius suam teneret extremitatem, sinistræ circumvolvit, & certamine aliquamdiu continuato, victa manum implicatam ex linteo contorto expedire nequivit, quin carpus sinistræ, cum dolore non levi, distorqueretur. Hinc quidem primò risus, mox autem postea lachrymæ & tumor carpi inflammatorius, eodem Millandi decocto repressus, manente tumore insigni, duro, lardeo, cuti concolore, cum manus aliqua immobilitate. Successerunt ulcera in dorso carpi, nunc plura nunc pauciora, sc. à chirurgo primo, nil nisi consolidationem intendente, traumaticis solis, & quidem lenissime, tractata. Tandem accersitus Medicus, dicit subesse spinam ventosam,

& incidendum artificiose tumorem, ad eximenda, quæ laterent, officula cariosa. Sed ægrota, si quæ unquam, impatientissima ferre noluit, sed cum priore suo Chirurgo in continuandis perstitit traumaticis & paregoricis, usque dum in cubito, axilla, costisque etiam orirentur ejusmodi ulcera, & misella, tota hectica, quadrimestri postea extingueretur.

# *OBSERVATIO* XXXVII.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Hydrophobia lethalis, accurate observata.*

MUlti multa scripsere de hydrophobia, plurimi forsan ex traditione potius & aliorum lectione, quam propria experientia. Plerosque forsan, si non omnes, superat Excell. Oribasii nostri industria & acriba, utut forsan non omnibus idem, quod ipsi videatur. Rarus enim est affectus, per DEI singularem gratiam, nunquam satis laudandam; mirandam tamen summopere ob canum frequentiam, & veneni hydrophobici summam propagationis facilitatem; non dicam, me ex practicis non otiosis aliquot lustrorum audivisse, quod ipsis nunquam tractanda contigerit hydrophobia, mihi certe practico jam v. lustrorum, non, quod præfiscini dixero, desidi, sed omnia rimari atque annotare solito, nupero demum anno primus obtigit hydrophobus, & utinam ne hic quidem, si qua Christianum, & proximo quævis prospera optantem, me aspexeris: Si autem qua Medicum, in casu, cujus ut causa non fui, ita post factum averruncus esse non potui, gratus & acceptus.

Sutoris egeni filiolus septennis d. 3. Octob. 1718. in platea discurrens, à cane peregrino, magno satis, per portam subito irrumpente, ibique anseres disturbante, & catellam (quod si masculus faciat, indubium rabiei signum est) mordente, itidem demorsus est in facie, ut vestigia tamen morsus

tria

tria non nisi superficiaria in mento, radice narium, & gena dextra apparerent, sed quo vix cuticulam fecerunt rubentem, nihilque sanguinis fuderant, plane non profunda, nec dolentia, uti tum mihi statim vix horæ spatio post morsum inspicienti & accurate percontanti apparuit. Parentes primum non curabant, ego autem ex Christiana charitate monui, & me ipsi aliqua rabiei aut hydrophobiæ antidota porrecturum promisi, acetum etiam rutaceum suppeditavi, quo totam faciem aliquoties abluerent, & morsus loca probe fricarent. Sed fuere qui illis suaderent adeundum quendam Chirurgum in pago vicino, qui ex hæreditate paterna & multa propria experientia certum morsus canis rabidi possideret remedium: id iste mihi aliquando aperuerat, & constat: 1. venæsectione medianæ, in latere ubi morsus, tanto copiosiore, quanto vetustior est morsus, & si jam adsit melancholia & tristitia, ad deliquium usque instituenda (quod quidem huic puero non suasit ob teneram ætatem.) 2. Morsus scarificetur, & sanguis extrahatur aut exprimatur, usque dum solum prodeat serum. 3. Morsui imponatur epithema, ex Elect. de Ovo, mithridatio, theriaca, ruta & nucleis jugland. ar. qu. s. desuper ponatur empl. defensivum. 4. Rec. Elect. de Ovo, Mithrid. Theriac. sem. eruc. an. q. s. fiant pilulæ magnit. pisi, dentur novem omni die per novendium, imperato simul sudore & domi mansione. Non plane improbanda forte methodus; ego autem pulv. Palmarii aut acetum Hannemanni ex Act. Hafn. Vol. 2. Obs. 110. p. m. 274. prætulissem, & adustionem suasissem. Dum his utitur puer, parentem ejus in platea obvium, ut ad hydrophobiam attenderet monui, & si quid singulare observaret, me statim accerseret rogavi. Transiit totus October sine incommodo, præterquam quod puer ex curatione caperet, & absque ullo periculi signo, diæta prout parentum tulit paupertas, instituta. Periculum evasisse cum videretur omnibus, d. 1. Novembris, qui erat vigesimus nonus à læsione dies, cœpit metum nescio quem præ se ferre, terreri aliquoties, minus solito

lito comedere, sed hactenus sine nota hydrophobiæ, me tum forte apud extraneum versante patientem, & domo absente. Nocte jam provecta cum redirem domum, narrantur ista, suasisq; Ther. Androm. scr. 1. Tinct. bez. scr. ß. aq. scorz. ℥ß. sacch. alb. ʒj. M. pro uno haustulo, lectoque tectus ut sudorem procuraret jussi. Hanc ille mixturam ægre deglutiit, quod tamen à suis potius aversione à medicamentis tributum fuit, bibit enim postea non semel aquam, absque horrore, in secundam usque post mediam noctem; ubi primum questus est, se quidem velle sed non posse bibere, quod statim ipsi dentes in maxilla inferiori doleant. Circa lucis exortum dixit: se adeo sitire, ut fauces aridæ sint, & lingua palato hæreat, bibere tamen non posse. Octava matutina ego accedens, inveni vestibus indutum, in facie nequaquam torvum, aut oculos turbatos, altiori scamno insidentem, sibi tamen à me metuentem (nescio an putarit sibi quidquam exhibitum iri) plorantem ad propiorem meum accessum. Sopitus promisso nummo, & de potu interrogatus, recusavit omnem aquam, vinum vero se admissurum respondit. Allatum intrepide aspexit, ex majori autem vitro haurire noluit, poculum vero minus porrexit, cumque illi infunderetur cum strepitu solito, non se alterari monstravit. Hinc poculum ipse sumpsit in manus & ori admovit, sed tremulans & quasi ignem metuens; vix etiam id ori appropinquaverat, quin mox retracto capite cum impetu, & sublato clamore anxioso refugeret, ac si spectrum in poculo vidisset; & projecisset hoc, ni mater statim suscepisset. Prolapsus est tunc pronus in lectum scamno instratum, seque volutavit, mox autem ad se rediit; quæsitus cur ita fugeret vinum? respondit, se mox quando vellet bibere, dolorem in maxilla inferiori sinistra percipere: persuasus hinc ut rursus tentaret, ploravit & tandem promisit, se pane intincto velle frui. Allata simila, ex medulla particulam ipse intinxit vino, & probe madidam ori ingestam absque impedimento deglutiit; alteram vero mox particulam ipse quidem iterum sine

hor-

horrore intinxit, sed ori immissam retraxit, quod deglutire non posset, ob dolorem dentium in maxillæ inferioris sinistro latere. Inspecto autem ore & maxilla, nihil tumidi aut inflammati, nec in gena vel faucibus conspicere potui; digito autem ori immisso, ut linguam removerem, & inspicerem, exclamavit altum, ac si ex attactu dolorem percepisset, osque clausit ac si mordere me vellet, quod me non parum terruit. Cumque alio destitutus instrumento, cultrum latum non acutum ad linguam removendam arriperem, puer refugit & exclamavit: sibi linguam præcisum iri, nec persuaderi potuit, ut os denuo aperiret, utut manus inermes ostenderem. Interim nec calebat, nec pulsus à naturali distabat, utque panem madidum reciperet, non potuit induci, guttas autem aliquot vini in mensa profusas absorbere tentavit, non tamen potuit, prono licet capite; postea persuasus est, ut guttas aliquot volæ manus infusas sorberet, quod & absque insigni fecit abhorrentia, sed à deglutitione rursus de ingenti dolore dentium questus est, ut ad experimenti repetitionem duci nequiverit. Hinc pater ejus denuo rediit ad supra dictum Chirurgum; qui rursus nec venæs. nec scarificationem suasit, sed solas pilulas, quarum unica dosi confecta, & à puero in offa deglutita, sudor frustra exspectatus est. A meridie d. 2. Novemb. ægrotus me præsente offam, ex pane & multa confectam aqua, comedit, sine ullo impedimento; monitus, cochlear etiam sola plenum aqua sorpsit, alterum vero ori non potuit ingerere, sed ne tunc quidem præter hæc hydtophobiæ initia p.nle quid ostendit. Vesperi hora octava pater retulit ipsum perbene habere, potum quidem non admisisse, sed offam valde jurulentam sumpsisse absque remora, & jam valde compositum esse, ac de nulla re queri. Jussi tamen ut ipsum bene observarent, atque interea Hannemanni acetum paravi, ut, si opus, statim ad manus esset. Nocte autem nondum ad medium provecta revocabar ad eum, quod vociferaretur horrendum, & rabiem minetur: accedens inveni positum in pavimento hypocausti, quod in lecto altiori ita se je-

ctigasset, ut à casu defendi non posset. Oculi erant turbati, puer pallebat, pulsus erat citatior & longe minor justo; continuò exclamabat sibi cadendum: **Ich fall/ ich fall/ hebet mich/ ich fall.** Obsecrabat simul omnes, ut pro ipso orarent, circumspiciebat indesinenter omnes angulos, & licet manus ejus & totum corpus teneretur firmiter ab adstantibus, semper tamen casum metuebat. Aquam admittere aut vinum præfractè recusabat, seque velle quidem sed non posse bibere asseverabat, aceti tamen Hannemanni guttas aliquot, cum theriaca mistas & vi intrusas non adeo gravate deglutiit, & paulo post vomituritione vexatus magnam muci viscidi & splendentis, in maximas bullas acti, copiam non tam vomitu, quam sub violentiori respiratione eructabat. Hinc admonitus, oravit ipse preculas aliquot pueriles, & orationem dominicam, absque hæsitatione quidem, sed sub anxia respiratione, & per omnes angulos circumspectione, cumque mentio fieret Pastoris, anxiè ut accerseretur flagitavit; quo accedente rursus multa solus & cum isto precatus est, ut mentem nusquam esse læsam, nisi in opinione de casu imminente, constaret; uti & si Pastor quædam inciperet ipsi ignota, regessit mox: **das kan ich nicht / das hab ich nicht gelernt.** Nihilominus metum casus innumeris vicibus repetiit, parentes, fratres & sororem secundum ætatis ordinem sæpius inclamavit, summa & indicibili cum anxietate præcordiorumque compressione, sudore copiosissimo ex capillis guttatim decidente, lecto hinc, non indusio solum, ac si aquæ intinctum fuisset madente, sed calido, utut manus, nares, auriculæ frigerent. Repetitum est circa secundam matutinam acetum Hannemanni paulo copiosius, cujus aliquid renitendo profudit, ad minimum autem guttas 30. deglutiit. Hinc questus est de torminibus & semel flatum emisit sonorum, pedes vero tenuit immotos. Circa tertiam rursus, quasi vomens eructavit prioris muci copiam majorem, & melius habere visus est, minus clamavit, lectum, ut à sudore madens, mutari rogavit. Cumque linteum

siccum

ſiccum ſubſterneretur, ſe reclinavit, qui hactenus ſederat, ſemper tamen ſibi cadendum adhuc ingeminavit, utque teneretur rogavit, utut nunc ſupinus jaceret. Tentata circa quartam denuò aceti Hannem. ingeſtione adhuc copioſiori, rurſus deglutiit, & paulo poſt in latus dextrum quaſi dormiturus ſe repoſuit, repentè autem facie facta livida, expiravit, adeo placide, ut niſi defixos in eum oculos continuò habuiſſem, mortuum nemo forſan obſervaſſet. Animæ ſit bene! Anxietatem cordis ego majorem me non vidiſſe recordor, etiam in catarrho ſuffocativo, aut ad ſupplicium datis. Exemplum hoc erit notabile venenoſitatis morſus canis rabidi, ut qui miſellum ne minimum quidem vulneravit, ſed notas ſaltem dentium impreſſit, trigeſimo demum die interfecit. Canis ipſe mihi non viſus eſt, accurrit, ut poſtea conſtitit, ex oppido tribus horis à nobis diſtante, ſpectabat ad lanionem, qui illum, utut rabiei ſuſpectum, dimittere quam occidere maluit, intempeſtiva ductus miſericordia; cumque ipſi ad nos tranſituro, Nicer ſuperandus eſſet, qui tum abundabat, in ripa ulteriori diu diſcurrit; vocatus à quibusdam pueris, tranavit, ſtatim vero felem molitoris dilaceravit, hinc gregem anſerum diſturbavit, neſcio an & læſit; poſtea catellam, quæ bis jam pepererat, momordit, hinc puerum invaſit dictum, eo autem vociferante aufugit, per transverſum oppidi noſtri currens, nonniſi unum adhuc canem momordiſſe dicitur; excurrit hinc in pagum vicinum horæ itinere diſtantem, ibi invaſit vaccam, ſed cum hæc illum cornibus in altum tolleret, & longe projiceret, nihilominus eam denuo aggreſſus in capite & cauda vulneravit. Abhinc adortus eſt canem lanionis, ſed, quod rarum, hoc ſe defendente, & alio vicino in auxilium veniente, primo fugit, mox autem rediit & ambos momordit, acerrime tamen ſe defendentes, quod canibus alias inſolitum etiam ferociſſimis, ut ſe contra rabioſos defendant. Morſu hinc petiit alios in hoc pago canes, deglubitori paulo poſt traditos, & duas adhuc vaccas, abhinc ſe proripuit in alium pagum, in via au-

tem alium percurrit ſine noxa, in illo canes adortus ruſticos mox habuit unanimiter perſequentes. Quibus ut ſe ſubduceret, cum alia non patebat fugæ via, in Nicrum rurſus proſiliit ſed in eo medio glande ex flinta trajectus purpuream evomuit animam. Certiſſimè rabioſus, nec tamen ipſe, ut aliqui contendunt, hydrophobus; De vaccis nemo quidquam ab initio movit, usque dum prima illa demorſa rabici quandam ſpeciem oſtenderet. Manſueta enim prius erga omnes, nunc quarta ſeptimana cornibus petiit etiam domeſticos & ancillam quoque conſuetam. Hinc ex magiſtratus mandato per deglubitorem occiſa eſt, uno ictu eoque non forti, cum antea jam ita debilis fuiſſet, ut cornu petens aliquem, mox in genua procideret. Lacte & axungia inde parata, non minus quam ex altera, uſi ſunt poſſeſſores, reliquiæ autem igne deletæ: illi ſunt juſſi pulvere Palmarii uti, quod refractarii tandem promiſerunt, ſed ſine dubio neglectim fecerunt. An aliquid in illos mali redundarit, tempus docebit.

# OBSERVATIO XXXVIII.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Spina bifida.*

ANnis abhinc aliquot referebat mihi chirurgorum noſtratium aliquis, quod ipſius demandata ſit curationi puella 14. dierum, quæ juſto magis macilenta in lucem edita, primo octiduo mirandum in modum aucta ſit, mammam ſuxerit, pultes comederit, feces alvi & veſicæ depoſuerit, ſat quieta toto tempore. Abhinc iterum decreviſſe manifeſte, ſomno brevi & interrupto gaviſam, non ut prius comediſſe, rarius alvum & non ſine torminum indiciis excreviſſe, convulſionum ſigna inordinatis motibus & terroribus in ſomno exhibuiſſe. Tum demum obſervatam eſſe maculam quandam in lumborum inferiori parte, auf dem Creutz/ excoriatam quaſi & rubentem,

tactu

tactu mollem, cum levi tumore, ad tactum non dolentem, duplicis coloris, cum area quædam appareret interior, latitudine nuclei persici, nonnihil oblonga, rubedine nigriori & quasi hepatica tincta, circulus vero eam ambiens, coloris esset rubelli, qualis ab intertrigine, pro qua etiam ab initio ab obstetrice aliisque fœmellis est habita & neglecta, longitudo erat pollicum 2½. latitudo sesqui-pollicaris. Chirurgus primò imposuit stypticum Crollii, deinde album coctum; sine mutatione maculæ, nisi quod area exterior sensim, à cute incipiendo consolidaretur versus aream inferiorem; Interim quid hoc esset ulceris aut apostematis, nescire se fatebatur, & ex mollitie, in qua digito profunda fovea, sed non permanens poterat imprimi, pus sub eo latere suspicabatur apertione per cultellum educendum. Mox regerebam, esse hoc spinam bifidam Tulpii, nullatenus aperiendam, sed palliative tractandam, nisi in mortem brevi secuturam misellam præcipitare vellet; conjicere me tamen, nihilominus brevi morituram, sed nullam in se culpam ut suscipiat me suadere, interim id agat ut ad inspectionem ego admitterer, aut si vel tandem, post mortem cultello pateret anatomico. Omnia se observaturum sanctè promisit chirurgus, sed ut viva daretur inspicienda obtinere non potuit, quod mater hoc quidquid esset vitii studeret occultare. Vixit abhinc puella dies adhuc 14. sed indies magis emaciata, plorans continuò, cum terroribus & convulsionum indiciis, tandem quatriduo ante mortem accessit diarrhœa colliquativa, unde sub convulsionum internarum tormentis è vivis est sublata. Mater tandem multis precibus inducta fuit, ut cadaveris sectionem non quidem totius, attamen loci affecti, adstante patre concederet, quæ 24. post fata instituta est hora. Jacebat genubus ad abdomen retractis, uti etiam pedes crebro movisse & sursum deorsumque traxisse animadversa est, non à parentibus modo, sed & chirurgo, præsertim sub torminum indiciis. Macula hinc suprà memorata, cum inspiceretur accuratius, deprehensa est partim

uti dictum, partim chirurgi diligentia, quoad aream exteriorem ſanata, & legitima cute atque cuticula obducta, albâ jam ſatis & fere nullis notata intertriginis ſignis; area vero media ex rubro liveſcebat, punctata quaſi, non ſecus acſi acicula eſſet pertuſa, fere inſtar papillæ in mamma. Mollities ſuberat magna, ſed quæ cavitatem potius quam pus ſubeſſe indigitabat, hinc decuſſatim inciſa vix guttas xv ichoris effudit purulenti, nec alterius quid, quam foveam exhibuit inanem, intus membranâ quadam ſubrubrâ, validâ, nervosâ, & nonnihil verſus centrum rugosâ, erat obſepta, quæ verſus ſpinam dorſi in anguſtum coibat inſtar infundibuli, intra vertebras lumbares quartam & quintam deliteſcentem fine ſuo. Primum quid hoc éſſet non intelligebam, penitiùs verò veſtigans inveni, in ejus medio prominentem medullam ſpinalem, in hanc ipſam membranam ſe per fibrillas tenuiſſimas circumcirca extendentem & plane deſinentem, ſicuti etiam absque negotio ſtylus plumbeus utrinque juxta eam ſupra in ſpinæ dorſi cavitatem immitti potuit. Ipſa vero area toties memòrata, reliqua cute duplo erat craſſior, & limbo expanſionis iſtius membraneæ, quam primam medullæ ſpinalis tunicam, à dura matre derivari ſolitam, fuiſſe ortam, tum manifeſte apparebat, circumcirca adnata, medulla vero ſpinalis eam non attingebat. Diu ſatis hæc omnia contemplatus, tandem membranam iſtam removeo, & ſub ea quartam lumborum vertebram, ſpina & proceſſibus obliquis inferioribus plane carentem, quintam vero itidem ſpina & proceſſibus obliquis ſuperioribus deſtitutam invenio, inter ambas vero eam diſtantiam, ut facile digitus index ſatis profundè potuerit immitti, & ego primum crederem, foramen illud in cavam abdominis penetrare. Aperturus eram hinc etiam abdomen, ſed aſtans pater non conceſſit, hinc os ſacrum & coccygis penitus denudavi, ut vel hoc modo in abdomen penetrare poſſem; ſed obſtabat in medio oſſeum quid, in lateribus valida peritonæi membrana. Hoc autem digitis à ſpina dorſi ſeparato, tandem deprehendi, hanc

hanc ipſam interiùs eſſe plane integram, & naturaliter conſtitutam, imò firmiorem & latiorem ſolito. Ut ergo etiam quid in vertebris lumbaribus reliquis & oſſis ſacri lateret ſcirem, eas cultello fidi, & planè ſolidas, ſine ulla cavitate ac medulla ſpinali deprehendi. Reliqua percontari non ſivit pater adſtans, qui jam diu patientia ſua me abuti rugoſa fronte innuebat.

## SCHOLION.

EST totus hic affectus conformationis morbus, & particularis monſtroſitas, in conformatione vitioſa vertebrarum lumbarium ultimarum, cum aberratione medullæ ſpinalis in ſuo itinere, quæ per quintam lumbarem vertebram in fiſtulam oſſis ſacri deſcendere, & ibi adhuc minimùm ſex nervorum paria, non ſolum pro partibus vicinis, ſed maxime nervis cruralibus ſat magnis emittere debuiſſet. Jam vero, quacunque de cauſa, ſi non à prima conceptione, certe paulo poſt eam à via regia defecit, & cum ſuis integumentis extra oleas vagata in interſtitio vertebrarum lumbarium quartæ & quintæ, plusquam digiti latitudine, præter imo contra naturam diſtantibus, ſed ſolum exteriori parte, interiori ſatis integra, ipſique ſpatium evagandi concedentibus prodiens, primam ſuam membranam in ſinum quendam, infundibulum referentem, expandit, ipſaque vix tres lineas, ſeu quartam pollicis partem longa, in fibrillas diviſa, circumcirca in eandem membranam deſiit. Patet quidem hinc errorem commiſſum à formatrice in utero, quid vero ipſi anſam præbuerit apparere nequit; mater enim nullius terroris, caſus, aut objecti terribilis toto geſtationis tempore oblati vult recordari. In monſtrorum vero geneſin altius nunc inquirere, nec vires meæ, nec inſtituti ratio permittunt, cum de iis tacere, quam pauca & inconcinna dicere ſatius ducam.

Exſtat hinc prognoſis primò indicata chirurgo; malum eſſe incurabile, hincque ſolùm pulliativè tractandum, & nul-

latenus

latenus aperiendum, cum certissimè si non ipsa medulla spinalis, tamen membrana ejus exterior, è dura matre orta, potuisset, imo debuisset lædi; convulsionibus lethalibus loco sperati puris à tergo subsequis. Indicationis enim curatoriæ ratio requisisset, ut medulla spinalis suo canali redderetur, isque in vertebris inferioribus deficiens, aperiretur, vertebrarum vitiosa conformatio restitueretur in statum naturalem; quod arti medicæ impossibile quis non videt? imo licet conjicere, si vel tandem misera diutius supervixisset, eam tamen futuram fuisse miserrimam, & pedum ministerio ad eundum nequaquam, ob nervorum forte defectum, quin & lumborum vertebris adeo vitiosis, ne ad sedendum quidem erectè, usuram fuisse. Nec etiam putarim maculam istam exsiccari & consolidari potuisse, sed perpetuo exsudaturam fuisse ichorem tenuem. In multis igitur hæc mea spina bifida convenit cum illa cujus in disputatione quadam inaug. Altorffii 1703. habita per D. Carolum Frid. Hœchstetterum, Rotenburgo-Francum, ut & aliis casibus in Tulpio, Ronhuisio & Schradero inveniendis. Discrepat vero adhuc in aliquibus, e. g. tumoris aquosi absentia, vertebrarum inferiorum soliditate, medullæ defectu, hujus integumenti per sinum expansione, & tamen pedum mobilitate, licet nervi iis necessarii unde fuerint deducendi vix liqueat, nisi quidam rami eorum, quos Vieussenius lumbares vocat, præter naturam fuerint nacti, ut de aliis taceam.

Siquidem vero DEus miseretur creaturarum omnium suarum, sine dubio si misellam diutius superfuisse voluisset, huic malo remedium invenisset, non secus ac aliqui, harum aut illarum partium ministerio non solum panem lucrari, sed & actionibus, integrorum industriæ vix imitandis, omnium oculos in se convertisse leguntur, in quorum numero facile Rhinoptes Smetii, aut cœcus de colore judicans Pechlini, cum sociis, Lignario gustu de lignis, & Gubernatore navis cœco eodem sensu de loco ubi vagarerur navis judicantibus. Nomen

men vero ſpinæ bifidæ quod attinet, quivis facile videt, non intelligi ſpinam vegetabilem ſed animalem; & licet affectus hujus naturam vix apte ſatis exprimat, cum tamen commodius nunc præſto non ſit, retinetur meritò, & more aliarum notiorum deſignat ſtatum hunc ſpinæ dorſi & ejus medullæ præternaturalem, bene tamen diſtinguitur à ſpina bifida naturali, quam nonnulli anatomici in ſecunda & interdum aliis colli vertebris collocant, & ſpinam iſtius vertebræ in apice nonnihil bifurcatam aut diviſam intelligunt. An hic affectus etiam veteribus fuerit cognitus aut deſcriptus forſan non præter rem quæri poſſet? Diſputatio Altorffina ultra Tulpium non progreditur, ſed in Schenckio quoque L. 5. p. 731. & 733. (qui ultimus prognoſin ſupra memoratam egregie firmat) reperiuntur caſus ejusmodi; nec abludit Obſ. 7. L. 3. Obſ. Foreſti chirurg. An & exulceratio oſſis ſacri ab Hippocrate pro lethali habita, huc trahi poſſit, diſpiciant alii. Dubium ſane non eſt, ſæpius ſpinam bifidam fuiſſe ortam, ſed obſervari neglectam, quod forſan poſthac minus eveniet.

# *OBSERVATIO* XXXIX.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Caſus ab alto mira, eventus ratione, diverſitas in duobus.*

TExtor quidam quadragenarius, mediocris ſtaturæ & roboris, à quadriennio monoculus, ſiniſtro ſcil. captus oculo, à piſo ex Muſquetta exploſo in columnam quercinam, & inde per angulum obtuſum in oculum impetuosè involante, corneæque tunicam exteriorem ita deglubente, ut cicatrix obſcura indelebilis permaneret, oculoque obſcurato viſum penitus deleret. Is æſtate præterita in conventu contribulium ebrius, nocte jam provecta tacite ſubducturus ſe, per ſcalam in diverſorio contignationis ſuperioris deſcendit ſolus

& sine lumine; cumque hæc fenestram satis patentem haberet oppositam, & per hanc miser candelas vicinorum conspiceret, portam diversorii hanc esse ratus, ebrietate simul incredibilia persuadente, utut per parietem, ultra tres pedes altum, esset ascendendum, per hanc tamen fenestram evasurus decidit in plateam lapidibus stratam, altitudine 45. pedum, nemine id observante, ipsoque vel ob crapulam, terrorem aut deliquium nec clamante, nec citius quam fere post horæ spatium à vigile nocturno, isthuc transeunte, reperto. Ne tunc quidem humanam edidit vocem, murmure tamen aliquo adhuc se vivere testatus est; delatus autem in diversorium & à sociis agnitus, chirurgoque commissus, nullibi autem insignius læsus est repertus, nisi in maxilla inferiori dextra oblique diffracta, dentibus tribus amissis; in capite ne tumor quidem aut suggillatio, utut strenuè ab initio vomeret, ab ebrietate forsan potius quam cerebri commotione. Datis hinc quoque analepticis & confortantibus internis ad se rediit, &, blæsa licet voce, questus est de lumborum dolore, utut nulla ibi læsio pateret, ægro interim quid ipsi præterea evenerit, penitus ignaro. Altero post die in lumbis magnus livor, cum insigni dolore observatus est, cui successit stranguria, cum subcruentatione urinæ. Nihilominus hic æger intra bimestre ab omnibus liberatus est incommodis, maxillæ etiam fractura affabre restituta, ut nullum superesset damnum permanens, si dentium amissionem exceperis.

Non ita licuit esse felici cuidam sutori; is enim sexagenario major, procerus, valde robustus homo, surdaster in aure dextra, etiam ebrius per scalas in pavimentum lapideum præceps fuit, per altitudinem vix quinque pedum, nemine statim præsente, sed quantum conjici poterat, pronus in dextrum bregma. Attonitus jacebat, aphonus & ronchos ducens, sine sensu & motu, sanguinem ex aure dextra satis copiose profundens. Vomuit etiam satis liberaliter, vinum sc. ingurgitatum, cum prandii reliquiis, quin & tandem vesicam

& al-

& alvum inscius exoneravit. Deportatus in domum suam & accurate inquisitus, nullibi inveniebatur læsus, præter vulnusculum in dextro bregmate supra aurem versus occiput, tantillum sanguinis fundens. Quod cum diduceretur, deprehensa est cranii fissura, de qua tamen, quorsum ulterius pertingeret, non poterat judicari ante incisionem. Quia autem vesperascente cœlo & crapula nondum discussa nihil moliri consultum judicabatur, omnia dilata sunt in crastinum diem, detonsis solum capillis, oleoque rosarum calido, capiti inuncto, sacculisque cephalicis super empl. de beton. injectis. Secundo à lapsu die, orto sole, cum nec vocem nec auditum etiam in aure sinistra redire cerneremus, fere nulla etiam rationis receptæ signa præberet, sed potius tota nocte furens, à quatuor viris robustis teneri se non patiens, sed morsu etiam eos petens, lecto alligari funibus debuisset, incisio vulnusculi decussata est facta, & fissura cranii uncialis, angulum tamen formans obtusum, deprehensa, quæ tamen non videbatur penetrare utramque tabulam cranii, nihil certè per eam humidi vel cruenti emanabat; pulsus tum erat æqualis, lentus, magnus; & licet æger sub incisione & deligatione renitens omni vi, frenderet, non tamen satis judicari potuit, an ex dolore aut delirio id faceret, verbum enim aut suspirium non protulit. Tertio die cum æger in eodem semper maneret statu, & vox æque ac auditus redire nollent, ratio etiam vix aliquas & ambiguas monstraret scintillas, instituta est trepanatio prope fissuram, versus occiput, & artificiose extracta cranii particula, mox sequebatur sanguinis sinceri prope cochlear plenum, seu ℥ß, sed sine ulla ægri sublevatione per totum diem. Mirandum erat ægrum sub ipso trepanationis actu sedisse quietum, quasi ex condicto, aut spem ex operatione hauriens, cum tamen antea ursi instar repugnasset, & à quatuor viris robustis vix sellæ cui alligandus erat, ne forte turbaret operatorem, inferri potuisset. Post operationem circumspexit quidem ac si circumstantes cognosceret, sed absque ulteriori rationis indicio. Vesperi sub al-

tera deligatione rursus emanarunt cochlearia duo sanguinis non congrumati, rursus absque læsi emolumento, quin potius nox secuta est gravis, insomnis, inquieta, ut semper surgere, ligaturas capitis detrahere niteretur, nullum vero rationis recuperatæ signum præberet, nec cibum nec potum peteret, utrumque oblatum insani instar abliguriret, urinam vero, utcunque monitus, non redderet, sed tandem in lectum emitteret, alvi autem beneficio hucusque careret. Data per noctem emulsio anodyna somnum non procuravit, sine furore tamen jacuit, solum se semper denudans & cum vinculis propterea injectis luctans. Mane diei quarti adstantes referebant, eum dulcissimum Salvatoris nostri nomen ter blæsa voce invocasse, & semel forcipem flagitasse, forsan ad solvenda vincula. Hinc deligatus, iterum sanguinis liquidi rubicundi ℥ij. & post diem mediocriter transactum, vesperi sub miti duræ matris depressione rursus ℥iij. ejusdem sanguinis profudit, me statim de læsione alia quadam insigni vasorum cerebri, quam quæ visui patebat suspicante. Post deligationem aliquoties in conclavi, instar quærentis circumspexit, & oblatum tandem urceolum, cum decocto pro potu, utraque manu arripuit, avideque bibit, ita ut etiam indusium in thorace anterius madefaceret, tumque me præsente, blæso rursus sermone dixit: Abwischen/ plura autem, præsertim miseram concernentia animam, exsculpere non valuimus, tractatus hinc, ut prius, ex arte, noctem habuit mediocriter quietam.

Quinto die cœpit rursus loqui aliqua sed non omnia, nec respondit ad interrogata, ut eum penitus surdum esse constaret: nullæ præterea rationis stricturæ, nisi quod sub deligatione iterum quietus sederet, & cum aliàs sæpius urinam in lectum deponeret, monstrato semel vasculo, eam rite in illud emisit, cæterum nec calebat nec horrebat unquam, potum non petiit, oblatum accepit, raro dormiens, aliàs cum vinculis continuo luctans. Sub deligatione hodie parum sanguinis ex vulnere emisit, pulsus erat ut antea magnus, paulo tamen velocior

sed

ſed æqualis. Tota hinc nocte fuerat inquietus, mane vero obdormivit, ut multo jam die demum, & hoc à lapſu ſexto, potuerit deligari. Tum vero apparebat ſomnolentus, pulſusque valde debilitatus, utut venæ, ubi poterant conſpici, turgerent; vulnus autem vix aliquot ichoris guttulas emiſit, ægerque aliquot verba protulit; nunquam autem vel minimum ad interrogata aut monſtrata reſpondit, fiſtulam vero tabacinam à ſocio monſtratam arripiens, orique inſerens, non tamen ſuxit. Poſt debitam deligationem inſtituta eſt venæſectio ad ℥viij. quam cum alias ſpectri inſtar abhorruiſſet, nunc defixis in brachium oculis eſt intuitus, & ſanguinem videns proſilientem in fracta erupit verba: Was iſt das? à meridie cum ſomnolentia continuaret, & in lethargum abitura videretur; nec alvus à quinquendio eſſet ſoluta, licet flatus elideret, turgeret autem abdomen, clyſter injectus eſt, non repugnanti utut inſueto, ex emollientibus, carminativis purgantibusque. Cum ultra trihorium nulla ſequeretur operatio, æger autem iterum cum vinculis luctaretur ſuis, adſtantes ignari an ſellam adire vellet, non ſolverunt, unde alvum depoſuit in lectum, cum epicriſi: So recht; quaſi eos ſubſannaret, quod non citius dimiſerint. Nulla autem ulterius rationis ſigna monſtravit, niſi quod bis poſtea laſano imponi ſe pateretur, ſatisque quietus alvi beneficio, licet, ut poſtea apparuit ex ſolo clysmate, gauderet. Duravit ſomnolentia nocte tota, interpolata tamen ſæpius clamoribus inſtar venantis, mane, ſeptimo die ex vulnere ne gutta vel ſanguinis vel ichoris emanavit, dura mater videbatur livere, nec ut prius pulſare, uti etiam pulſus in carpo erat palpitatorius & undulatorius, æger urinam rurſus in lectum emittebat, loquebatur interdum, non plane incondita, nec tamen aliquid ad interrogata regeſſit, nec in libro legere voluit oblato. A meridie magis in lethargum propendebat, nec quidquid tentaretur, excitari potuit, ſed tota hinc nocte cum fatis luctans, mane obivit placide, & absque ullo convulſionum ſigno. Horis aliquot po-

 ſtea

ſtea ſecto capite, deprehenſa eſt, præter dictam, alia in cranio fiſſura, pollice inferior illa, prope os petroſum incipiens, totamque cranii baſin per transverſum dividens per oſſa temporum & ſphœnoidis, in ſellâ equinâ duplicata, uno ad dextram, altero ad ſiniſtram oculorum orbitam pertingente ramo, inſtar literæ Y. adeoque multum conveniens cum obſ. 32. cent. 5. Ephemeridum noſtrarum. Cæterum reperiebamus in occipitis dextro latere, ſub dura matre, puris bene cocti aliquantum, absque ullibi manifeſta ſuppuratione in cerebro, & prope aurem dextram tantillum ſanguinis congrumati, hujus vero ℥ij. ad minimum, prope os petroſum ſiniſtri lateris, unde forſan & ſurditas iſtius auris; dextrum cerebri hemiſphærium pallebat, ſiniſtrum erat diſtinctum venis rubentibus, totum vero interius plane naturaliter conſtitutum erat. Quanta jam hic caſus ab altero diverſitas in effectu! cecidit uterque ebrius, ille noctu, hic ſatis claro adhuc die; ille per pedum 45. hic quinque ſolum altitudinem; ille tenerior, hic altero tanto robuſtior, uterque in locum lapidibus ſtratum, ſoli ambo, nec ſtatim à quoquam obſervati, prior autem longe diutius jacuit deſertus. Neuter locum & modum præcisè læſionis indicare valuit. Primus lumbos ſolum contudit graviter & in capite ſolam fregit maxillam inferiorem, poſterior cranium bis, & in loco quidem inſolito ferè, atque firmiſſimo, divulſum habuit, ubi nec dignoſci, & ſi vel tandem ulla curari potuiſſet arte, mortuus diei octavæ initio, cum alter quarta hebdomade meas, per horæ iter, repeteret ædes, gratus pro præſtito ſibi officio. Recordor hac occaſione, caſus ab alto aliûs, in duobus fabris murariis Ludoviciburgi ex ſummo ædium principalium faſtigio lapſorum, ita ut prior labaſcens in altero ſe ſuſtentaturus, ſocium pertraheret ſecum in præcipitium 75. pedum. Prior eadem adhuc nocte fatis ceſſit, conquaſſatis, ut audivi, omnibus internis pectoris & abdominis viſceribus, nec enim meæ commiſſus erat curæ. Alter autem præter terrorem & conſternationem nihil fere

cepe-

ceperat incommodi, & octiduo post iterum in platea mihi occurrit ad opificium excurrens repetendum. Ita ut vulnera nec casus dentur ad mensuram.

# *OBSERVATIO* XL.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Lethales cerebri à causa externa læsiones, illæso cranio.*

SEmestre agitur, cum à Præfecto quodam vicino vocarer ad inspectionem cadaveris viri, ex allisu ad lapidem defuncti. Decimus quartus erat dies, cum, non satis sobrius, cum socio, magis adhuc ebrio, robusto, tricenario, ipse plusquam quinquagenarius debilis, strumosus, dyspnoeicus luctaretur, retenturus eum sc. bona intentione, ne in alium, quocum rixa fuerat ipsi, inveheretur. Hac occasione tandem à fortiori victus, & magna vi projectus in crepidinem saxeam fontis publici, mox autem sponte surrexit, & nihil damni sensit præter contusionem, & vulnuscula duo, in fronte, supra oculum dextrum, ubi sc. ad lapidem alliserat. Balneator mox accitus, invenit unum vulnusculorum per cutem & pericranium penetrans, & cranium ostendens nudum, sed vix pisum capiens, immediate supra supercilium, alterum vix pollicis latitudine superius, solam tamen cutem apertam, & eadem cum priori magnitudine. Utrumque more balneatorum detersum, imposito diapalmæ emplastro, deligavit, fretus phænomenorum gravium absentia. Æger etiam non solum ea nocte dormivit quiete, sed & altero die in publicum prodiit, & balneatorem vix ad deligandum ulterius admisit, multo minus ulteriori cura censuit dignas læsiones suas. Duravere ista halcyonia in decimum usque diem, ubi subsidente omni tumore, vulnusculo cutaneo consolidato, profundiori ad sanationem prono, in campum quoque exiit, & toto die in demeten-

metenda avena, colligandisque mergitibus occupatus est absque ullo impedimento; circa vesperam subito exortus turbo, imbrem effudit abundantem, quem cum non posset effugere, benè madidus domum rediit, mox querens de horrore, cum subsequo calore aucto. Neglexit tamen & hoc, sed altero mane, die nimirum undecimo, quiritabatur de cardialgia quadam, nec cibo nec potu in jentaculo vincendâ. Sequebantur vomitus aliquot, non adeo exacte numerati, cum increscente calore pn.li, & juncta virium dejectione, atque doloribus nescio quibus per totum, maximè autem præcordiorum angustia; sed ne tum quidem de capite læso cogitatum est, verùm epidemiis tum febrilibus quibusdam symptomatibus omne imputatum. Ita transegit etiam duodecimum & decimum tertium dies, nec ipse cum suis balneatorem, de vulnerato capite anxium, audire voluit. Nocte vero ante decimum quartum subitò est mortuus, uxore ipsi accumbente, nec observante; certè quærenti referre non valente, an quid convulsivi accesserit, aut qua ratione vitam cum morte commutaverit? Inspectus hinc vulnuscula, uti jam dictum, exhibuit fere persanata, parum puris fundentia sine nota gangrænæ aut alius mali phænomeni. Cute capillata decussatim detracta, cranium ex omni parte illæsum, nec fissum nec depressum est inventum serra autem horizontaliter circumsectum, & vix elevari cœptum fuerat ejus hemisphærium superius, cum ultra ℥ij. ichoris subcruenti & purulenti promanarent, & olla detracta in dextro cerebri latere supra auris regionem apparebant in dura matre tres, supra se invicem positæ & versus coronalem suturam assurgentes, exulcerationes, quarum tamen non nisi ultima duram matrem penetrabat,& purulentum illud serum plorabat, reliquæ interiorem duræ meningis tunicam exedentes, exteriorem papyraceæ tenuitatis reliquerant. Incisa hinc etiam dura matre, totum fere cerebri hemisphærium dextrum pure contectum erat albo-luteo, spisso, non admodum fœtente, piæ matri allito, quæ simul valde intumuerat, venas etiam triplo majores quam in sinistro latere, turgentesque

que humore quodam subcruento & purulento exhibebat. Maxima puris pars se demiserat versus os petrosum dextrum, ibique stagnabat. Cerebrum ipsum ibi locorum pallebat & in confiniis suturæ sagittalis 3. minime linearum crassitie putrefactum erat. Ventriculi autem anteriores nihil præter tantillum seri subcruenti, instar loturæ carnis, continebant, quale quoque liquidum versus medullæ spinalis initia, sed paulo abundantius reperiebamus, in cranii autem parte interna, exulcerationi supra dictæ objecta comparebant indicia conceptæ cariei. Nemo forte dubitabit causam interitus hujus misellii esse in aprico positam, sed quomodo tam enormis cerebri & integumentorum læsio, salvo cranio, & quidem in loco à læsione externa remoto, absque signis aut phænomenis vel minimum observatis, in decimum diem durare & evenire potuerit, mecum non pauci mirabuntur. Sed desinent, credo, mirari, multò minus scholion hic desiderare qui egregiam R. J. Camerarii Tubingensis disputationem de Vomica cerebri perlegerint attentius. Cumque Vir optimus censeat, p. 15. opus esse, talium casuum, (quo plurium, eo melius) observari & colligi phænomena, brevibus solum tangam casum, mihi 1711. multiplex creantem negotium. Cum mendicus quidam senex, pumilus & exsuccus, Georgius Zöhrer, Styriacus, cœcus à multis annis ob oculos plane exhaustos & concidentes ex trichiasi seu phalangosi, (ut ipse referebat) raro alias affectu, ductus à fœmina quadam fere gigantea, Susanna Weigleria, robusta, procera & feroci, trahens secum puerum privignum, puerum decennem, Colonia, ubi ad tumulum, ut credunt, trium Regum se visum speraverat recuperaturum, rediret æque cœcus ac adierat, infensus autem esset privigno propter crebriorem, ut dicebat, inobedientiam, ultimo propter dysenteriam, qua per triduum afflictus, sequi eos non valens, dorso fœminæ portari plerumque opus habebat. Proinde illum non longe abhinc verberibus ope baculi, quo cœcus ducebatur, probe dedolaverant, ut in dorso maleferiatæ expi-

 raret.

raret. Cum autem in domum requiei pauperum destinatum in pago vicino, divertissent, quasi agonizantem magna, per semihorium coram reliquis mendicis, tractarunt cura, mox autem ut mortuum ex dysenteria luxerunt, & tum demum à Pastore loci petierunt ut publice sepeliretur subsequo die. Vix autem humatus erat, cum accederet quidam colonus, qui inhumanam ejus tractationem coram viderat, suspicionemque occisum esse violenter, moveret. Hinc reeffossus est quidem, sed ob intervenientem aliquam moram, quarto demum die cultro patuit anatomico. Tum quoque nullam, præter vibices aliquot cutem solam concernentes, in toto corpore læsionem exhibuit, præterquam in capite tres contusiones, unam circa suturam coronalem, versus dextrum latus, sed ubi vulnusculum ne cutem penetraverat quidem; alteram supra oculum sinistrum, sine vulnere, sed sola suggillatione notabilem. Tertia erat in occipite, cutemque capillatam ad pericranium usque aperuerat; sub utroque hoc, decenter separato, plane nihil fonticum, & in toto cranio ne minima comparuit rima vel depressio, sed isthoc ablato, utrinque duræ, & sub hac etiam piæ matribus adhærebat multum sanguinis congrumati, diutiori à morte mora non quidem putrefacti, sed fere solidi, ipsis cerebri anfractibus se insinuantis, & ad basin cerebri prope sellam equinam & divaricationem nervorum opticorum, ad os petrosum sinistrum, versus cerebellum, & principium spinalis medullæ aliquot ejus unciæ demiserant se, cujus tamen ne gutta in cerebri ventriculis, tantillum vero seri limpidi sublutescentis fluctuabat, Dixi negotium mihi creasse multiplex hunc casum; & fiebat id non solum ob has vulnerationes, sed & quod de immediato, cum mortuus ab utraque & diversis vapulasset temporibus, vitricus esset cœcus, fœmina epileptica, & gravidam præterea simulans, hinc quæstio de tortura utrique decernenda, cum infanticidas se fateri nollent, & quæ alia huc non referenda, utut forte lectu non indigna, ne lectorum otio intemperanter, ut loquitur Cicero, abuti velle videar.

*OBSER-*

# OBSERVATIO XLI.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Hydrops Lienis.*

RIsum an indignationem lectori moturus sit iste titulus, anceps hæreo. Nusquam certe illum hactenus me legisse recordor, nisi in Moroni directorio per Schefferum aucto, p. 232. sed quod, more solito ad alium me ablegat titulum, lienis nempe tumores, corvum vero hiantem vento pascit, & nihil ibi ad rem faciens, præter Pisonem qui mihi ad manus non est, affert. Ut itaque & hic epicrisis Schelhammeriana in additamentis ad introductionem Conringianam p. m. 141. de opere isto confuso non minus quam vitioso, vera sit. In Actis certe Societatis nostræ nusquam vel ego, vel qui ea diligentius excusserunt alii duo de hoc casu consulti Medici, similem non reperere casum, ut adeo novum nomen fingendum, aut male fictum, sit retinendum. Fœmina quædam plebeja, plusquam tricenaria 1717. d. 2. Julii obviam in campo mihi facta fuit, domum ab ægroto redeunti; monstrabat in sinistro hypochondrio tumorem durum, indolentem, cuti reliquæ concolorem, & sola tensione atque gravitate molestum, sensim ex ignotis causis ortum, & ad quantitatem, quinque minimum librarum, si carneus esset, accedentem, ac à me tum temporis pro abscessu quodam muco-carneo integumentorum hypochondrii, (ita tenaciter illis adhærebat) aut scirrho qualicunque habitus est. Præscripsi altero die aliqua illi discutientia, emollientia & aperientia interne & externe, sed cum non statim primis diebus morbi ablationem perciperet, me accuratiorem licet inquisitionem meditantem non adiit amplius, usque d. 25. Augusti, anni nuper elapsi, ubi chirurgi pagani discipulus incondita quædam retulit nomine sui domini: quod ab eo tempore, de quo supra, fuerit usa variis empiricis, è quibus unus ipsi suaserit decoctum rad. acac. German. cum

baccis junip. Unde plurimum urinæ reddenti tumor sensim tantum non integer evanuerit, ut rursus in campum exire, & rusticis vacare operis valuerit. Imprægnata interim, cum fœtu tumoris istius quoque molem in pristinum redire sensit statum. Pepererat abhinc decem septimanis satis feliciter, & primo tempore ipsa lactavit puellum; sed ob languorem indies auctum, id negotii vicinæ coacta est relinquere. Quatriduo ante mortem d. 25. Aug. 1718. incidit in ischuriam valde molestam, euporistis non cedentem, sine dubio à decocto supra dicto, aut alio fortiori diuretico, quod tamen chirurgo fateri noluit, sed culpam excandescentiæ iracundæ imputavit ipsa. Præscripta etiam per me primo biduo nihil effecere. Hinc urinâ per catheterem eductâ, & sub ultima applicatione, humore lactis instar albo sed parco prodeunte, liberius quidem vixit, sed urina sponte noluit abire, nisi aliquot ante mortem horis, quam convulsiones præcessere breves, sed vehementes. Secta hinc à me, utut tempore perquam brevi dato, instante sc. vespera, intestina habuit flatu valde distenta, imprimis colon, omentum plane extenuatum, & versus ventriculum retractum, in fine coli & recto excrementa copiosa, dura, globularia. Nulla ullibi conspicienda erat inflammatio aut gangræna, renes erant sani & integri, ureteres illæsi, flatui pervii, uterus cum annexis partibus bene constitutus, vesica penitus vacua, ampla, non contracta, ut solet, externe naturaliter constituta, interne nec urinam nec calculum, nec pn.le quid præter maculas quasdam rubicundas piso vix majores, & circa ureterum insertionem crucigeri latitudine ambientes; urethra hiabat in vesicam, non contracta per sphincterem, nec in ea vel minima urinæ remora. Hepar præterea fuit sanum, ventriculus inflatus, tenuis, pancreas naturale, mesenterium extenuatum, sine ullo tumore pn.li, Lien requisitus vix creditus est id esse, quod erat, exacte enim referebat intestinum cœcum porci annosi, sanguine, ut solet apud nos fieri, fartum; figura ipsi erat conformis, basi caput

virile

virile non mediocre æquante ſuperius, cono inferius tendente, inteſtino colo, ventriculo, hepatis lobo huc protenſo, diaphragmati undique annatus, & vi avellendus, cæterum vaſis ſuis ſolitis connexus. Cum in corpore non ſatis commode inſpici poſſet, extractus ponderavit ℔iiij ℥iiij. tactu undique durus, maximam partem quaſi cartilagineus, naturalem adhuc ſubſtantiam referebat in parte ſuperna & inferna, & parumper in medio, ſed divulſæ erant hæ particulæ lienares quaſi ab invicem, & membrana quadam valida, craſſa, dura, quaſi cartilaginea diſtincta, inſtar ventriculi ſuilli, ſanguine farti & ſemicocti; totus autem, ad crepaturam erat diſtentus, ut vix aliqua fluctuatione, ſub forti etiam compreſſione latens qualecunque fluidum proderet. Facta vero levi compunctione in parte membranea, proſiliit mox radiatim & cum impetu, lympha tenuis, quaſi gelatina calore ſoluta & croco tincta, ultra menſuram noſtratem ſeu ℔iiij. totusque lien ſubſedit. Foramine autem ampliato apparuit tunica quædam candida, duas tresve pollicis lineas craſſa, cavitatem internam circumcirca veſtiens, nullibi tamen adnata, ſed libera penitus, (quod mirabar) & hinc excidens ſine ulla ſeparatione mea, mucoſa, quæ lympham iſtam continuerat, interius lubrica, exterius nonnihil aſpera, ſed adeo fracida, ut ubicunque vellem apprehendere, mox ſub digitis divelleretur, non aliter quam mucus in aceto reperiundus, quem Eſſig-Mutter vocant. Reliquum lienis hujus monſtroſi intus erat membraneum, aſperum, plerumque tenue & veſicam urinariam referebat exinanitam. Nullum alibi læſionis quondam factæ veſtigium. In thorace, pulmones erant optime conſtituti, cor flaccidum, in ejusque utroque ventriculo polypus, craſſior, & maximam partem pinguis, in fine cruentus, in dextro; longior, magisque grumum ſanguinis referens in ſiniſtro ventriculo. Reliqua luſtrare, ob cœlum veſperaſcens, non potui.

# OBSERVATIO XLII.

## Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

## *Lienis Inflammatio lethalis in vaccis cum præſervatione & curatione.*

CUm anno nuper elapſo Medicus adeſſem generoſiſſimo Domino Baroni de Knieſtæt, ſeni octogenario, Filius itidem generoſiſſimus & œconomiæ perquam ſtudioſus, inter varia hujus argumenta monſtravit mihi gratioſe ovium greges, equos & vaccas, omnes bene habitos ſanos & alacres, uti etiam omnes ſucceſſive ſtabulis aquatum in aream emitti juſſit me ſpectante, ſubſultantes, & ne minimam ullibi valetudinem adverſam præ ſe ferentes, idque hora quarta veſpertina. Cum circa 7. tandem ad cœnam vocaremur, nuntiat, qui vaccarum curam gerebat, unam earum, & quidem ordine quartam inter gravidarum ſeriem periculoſe ægrotare, ex ebullitione ſanguinis, quam noſtrates vocant: das wilde Geblüt. Quærebatur remedium, & ex me quoque; cum autem veterinariæ profiterer ignorantiam, & nihilominus adderem: me id morbi habere pro febre maligna, ex vel cum viſceris alicujus interni inflammatione (ad mentem Scretæ, quem ut ingenuum ita veriſſimum & πρακτικότατον ſcriptorem magnifacio) proinde ſi quid à me opponendum eſſet, in alexipharmaca & bezoardica inclinarem, in ſpecie radices leviſt. carlin. valer. imperator. petaſit. cum tantillo camphoræ. Prioribus quidem applauſit vaccarum magiſter, contra camphoram autem proteſtatus eſt, quod vacca eſſet gravida, cum camphora queat procurare abortum. Inauditum id quidem mihi fuit, præterquam quod Völterum quondam noſtrum, chirurgum expertiſſimum, in ſchola obſtetric. p. prior. edit. 217. Mœbius ſane in Anatomia camphoræ, hanc ex Khunratho veſicæ & renibus nocere tradit, p. 104. & tamen in variis renum, veſicæ & uteri affectibus ex aliis laudat. c. 21. p. 88. Non itaque repugnavi

gnavi

gnavi expertis, ſed paulo poſt recurrit idem pecoris magiſter, & refert vaccam in agone verſari, protinus occidendam, niſi cedere debeat deglubitori. Quod cum Gen. Baro juſſiſſet, rogavi ut me non niſi præſente aperiretur, id quod non ſolum conceſſit, ſed & œconomica curioſitate ductus ipſe mecum adſtitit lanioni. In tota autem vacca nihil præternaturale deprehenſum eſt, præter maculam gangrænoſam in ſiniſtro uteri cornu, cum fœtus ferè maturus in dextro quieſceret, jam mortuus, utut ultra ſesquihorium à mactatione non effluxiſſet. Lata erat macula palmam ferè, ſed ſuperficialis tantum, adeoque non ſufficiens cauſa mihi viſa, quæ vaccam eousque affligeret. Ulteriùs igitur quærenti, quatuor maculæ itidem gangrænoſæ patebant in tenuibus inteſtinis, ſed maxima vix thalerum æquabat, reliquis adhuc minoribus & ſimiliter ſuperficiariis tantum. Tandem deprehenſus eſt lien ſecundum omnes auctus dimenſiones, nigerrimus, triplo ferè major naturali & digitis prementibus undique cedens, & ſub manibus quaſi diffluens; Auricula denique cordis ſiniſtra leviter tumens & inflammata, reliqua omnia naturaliter conſtituta. Miratus non tam mortem ex tanta viſceris tam nobilis inflammatione, quam ejus acutum tempus & violentiam in armento paulo ante ad ſpeciem ſano, & omaſum pabulo recens comeſto fartum habente. Pecorum magiſtro in aurem dixi: ſuſpectum mihi eſſe hunc morbum, & tranſiturum forte in vaccas vicinas, ſed neglexit. Quarto poſt die cœpit ægrotare vacca, ordine prima, quæ pridie vitulum enixa erat ſanum, idque ſine ulla ægritudine ſubſequa, ipſa ferox alias & petulca; poſt horas aliquot, exhibitis licet aliquibus ex ſupradictis alexipharmacis, eadem neceſſitas ſupervenit eam occidendi, ut ad minimum cutis Domino conſervaretur, carnibus jam ad uſum humanum ſuſpectis. Deprehenſa fuit eadem lienis conſtitutio, nulla vero in aliis partibus gangræna fuit obſervata per lanionem & adſtantes. Eadem die cum ego circa veſperam ad Generoſ. D. ægrotantem rediiſſem, monſtratur

ſtratur & tertia, quæ ante tres hebdomadas pepererat, & hactenus lactaverat vitulum ſanum & opimum. Conſtituit Baro Generoſiſſimus flocci facere cutis jacturam: nec ſe permiſſurum ut hæc occideretur; ſed, damni ſecurus, expectare volebat, an & qualem ſubitura eſſet necem. Seducta ergo à reliquis, & datis pulveris radicum ſupradictarum prope ℥iij. videbatur aliquandiu habere melius, cum antea cordis palpitatione & dyſpnœa ſonora valde laboraſſet, alia enim mali ſigna præter anorexiam non deprehenſa fuerant hactenus; cœpit enim aliquoties ruminare rurſus, & egeſſit quoque excrementa utraque, cum ſpe bubulæ de reſtitutione, ſed brevi, ad mediam enim noctem, cum veſperaſcente cœlo ægrotare cœpiſſet, omni momento pejus habuit, & circa ſolis exortum expiravit, cum tota nocte ſtetiſſet, præter modo dicta ſymptomata nihil ſingulare monſtrans, ſubito enim & absque ulla jectigatione convulſiva, deceſſit. Exenteratione, cum deglubitor è longinquo accerſendus eſſet, non licuit intereſſe, ſed relatum eſt eandem fuiſſe lienis conſtitutionem, nec alium deprehenſum eſt vitium. Hinc tres reliquæ vaccæ hujus ſeriei à cæteris ſunt ſeparatæ, contagii concepti & ulterius propagandi metu: ſed eodem veſpere incepit ſimiliter male ſe habere vacca quarta, ſerie quinta; interim accerſitus eſt veterinarius perquam famoſus, opilio prope ſexagenarius, qui, cum primò in me incideret, ipſique vix narrare occepiſſem phænomena, de cordis palpitatione & difficili reſpiratione, mox regeſſit: cauſam eſſe lienis inflammationem, **der Brand im Miltz**/ & multa ſe doctum experientia confirmavit, lethalem eſſe morbum, niſi ſtatim venæſectio inſtitueretur, & radix bryon. daretur in pulvere. Deductus hinc ad vaccam, vix ab horæ ſpatio ægrotantem, deſperavit mox de curatione. Dedit tamen illi tres taleolos rad. bryon. aridos, quorum plures ſecum in pera geſtabat, & vacca devoravit avide, cum antea non minus quam reliquæ poſt invaſionem ne gry ullius pabuli capere voluiſſent; mirabantur omnes, imprimis ego, cui ſumma

radi-

radicis iſtius amarities bene nota erat. Hinc venas incidit in oculi orbita utriusque, quas ſe bene dicebat tangere, ego autem nec in hac nec in aliis tactu poteram deprehendere. Rivuloſe proſiliit ſanguis valde niger, craſſus & glutinoſus, cujus partem vacca rurſus deglutiit, non impediente veterinario, reliquas quaſi per ſtirias longas tenaces, non tam in ſtramentum delapſus eſt, quam ex capite pependit. Hinc & duabus reliquis eædem ſectæ ſunt venæ, ſecundæ nimirum & ſextæ vaccæ, ſed ſanguis erat valde rubicundus, & quaſi miniatus, nec adeo impetuoſe promanavit, citius etiam ſubſtitit in his duabus ultimis, idque ſponte, quam in prima, ut veterinarius appoſitis ad vulnuſcula digitis hæmorrhagiam reprimere cogeretur. Hinc omnibus denuo datus eſt pulvis rad. bryon. in pane, eo cum ſucceſſu, ut non ſolum, ſanæ adhuc, nihil paterentur mali, ſed ægrota quoque ſexta poſt morbi principium hora rurſus non ruminaret modo, verum comederet biberetque, atque ita demum plane reſtitueretur. Altero die reliquis quoque armentis ſectæ ſunt ſupra indigitatæ venæ, datusque pulvis idem, nec ab eo tempore ullum poſtea male habuit, multo minus occidi debuit. Veterinariam exercere infra dignitatem eſſe Medici honeſti, ut nemo facile negaverit; ita ſcire illam & in materiam ejus medicam, operationes atque effectus omni ſolertia inquirere conſultum eſſe, prudentior quisque credo mihi conceſſerit; quo tutius in brutis, & absque conſcientiæ tenerioris læſione inſtituimus experimenta, &, ſeu intereant, ſeu evadant, licentioſius in eorum graſſamur viſcera, morborum & inde reſultantium læſionum ſive lethalium, ſive damni permanentis naturam rimari poſſumus. Multa hoc fine collecta, forſan ſuo tempore videbunt lucem, ſi DEus porro vitam viresque largitus fuerit benigne.

# *OBSERVATIO XLIII.*

## Dn. D. Johannis Jacobi Dillenii.

## *Lacrimam Papaveris in Germania etiam bonam obtineri.*

QUamvis versatissimus Daniel *Ludovici in Not. ad Dissert. I. p. m.* 31. non dari existimet Opii succedaneum, & in ipsa Diss. *l. p. m. 293* domi collectam massam exoticæ acumen eadem dosi neutiquam attingere observaverit, & Sirubus de papaveris capitibus ad integra cochlearia passim propinetur, nostrum tamen papaver neutiquam ita debile, ac vulgo creditur, esse, sequens observatio testari poterit. Nimirum æstate anni 1717. de papavere, cujus capitula foraminibus hiant, incisione succum collegi resinoso-gummosum, cujus densati granum unum eundem, cum vulgari Opio effectum dedit, nisi quod somnum aliquanto turbulentiorem (forte quod recenti cruditate adhuc molestum esset) produxerit. Id vero notabile erat, quod diapnoën paulo largiorem ac vulgare subsequam habuerit. Albi papaveris capita eodem tempore lacrimam præbuere, Opium odore & consistentia satis referentem, cujus energiam non tentavi. Utriusque papaveris incisa & cocta capita extractum largita sunt mere gummeum, odore minime ita validum ac Opium, & viribus etiam multo inferius, ceu cujus dosis ad scrupulum usque augenda erat. Quo constat resinæ (ac forte multo magis remixtæ, cum gummosa nempe parte, dum essentiæ vini spiritu extractæ passim debiliores observantur) præcipue deberi vim illam quam edere observatur Opium super motus & externum corporis habitum, quem nempe attollendo peculiariter & jam ex veteri observatione, ad pruritum usque afficit, ut ii, qui opium vel moschatas etiam nuces, recentes præcipue, quod *Itineraria* loquuntur, copiosius absumsere & in vitæ ideo discrimen adducti fuere, insigniter turgefacti visi fuerint. An Turcæ nobis mittant Meco-

nium

nium, quod aliqui exiſtimant, ſuccum nempe inſpiſſatum & de gummoſa ideo parte potiſſimum conflatum, Opium vero ſeu lacrimam reſinoſo-gummeam retineant, obſervent quibus obſervandi occaſio erit; mihi odoris gravitas, inflammabilitas, reſolutio vulgaris maſſæ in reſinoſam & gummoſam partem, & præſens experimentum diverſum ſuadere videntur.

# *OBSERVATIO XLIV.*

## Dn. D. Philippi Eberhardi Dillenii.

## *Urina nigra lethalis.*

QUod antiqui ævi medici de *urina nigra* plerumque *lethali* dixerunt, id præſenti lubet magis confirmare obſervatione. Puer 4. fere annorum, perſæpe aliàs valetudinarius, calore p. n. cum intumeſcentia genarum & ſuperciliorum catarrhali affligitur, poſt uſum vero mixturæ ſimplicis, cum Eſſentia Succini combinatæ, interpoſito, ob vermium ex urina albicante judicatam præſentiam, laxante, plenarie reſtituitur. Tres fere exceſsêre ſeptimanæ, cum itidem calore p. n. ſpirandi difficultate, & capitis ac abdominis dolore infeſtatur; urina tum erat ex rubro-ſpadicei coloris, nec tum adeo ſiniſtrum quid portendens, ſiquidem poſt uſum Electuarii ex ſpermate ceti cum oleo amydal. dulc. & ſaccharo confecti, externorum pectoralium, & emulſionis refrigerantis bezoardicis & confortantibus auctæ, malum in tantum alleviabatur, ut puer rurſus deambularet, & plenariæ reſtitutionis ſpem mox de ſe promitteret. Sed poſt aliquot dies multo mane denuo evocatus, prædicta ſymptomata majorem in modum aucta, cum immani quantum calore urente & cordis palpitatione deprehendo; urina tum colore magis ad nigredinem vergente tincta, & diverſis vicibus excreta magis magisque ita apparebat, ut malignitatem morbi humorumque corruptionem non vane inde judicans, quoties accedebam, majorem virium proſtra-

 tionem,

tionem, minoremque reconvalescentiæ spem illo die concíperem: quæ me quidem non fefellit suspicio, siquidem frustraneis optimis cardiacis confortantibus & refrigerantibus intus & extus adhibitis, truculentus ille paroxysmus ægrum defatigavit ita, ut ejusdem diei hora XII. nocturna teneram Creatori suo reddiderit animam.

# OBSERVATIO XLV.

## Dn. D. Johannis Adami Reimanni.

## *De dubia Auri Uvarum vegetabilis existentia.*

NEminem ex Medicis facile latere potest, quanta cum confidentia à plusculis temporibus pro consanguinitate & sympathia auri cum vino demonstranda, ad vegetationem Auri in vitibus provocatum sit, adeo, ut quantum quidem nobis innotuit, nullus rem hanc in dubium vocare præsumpserit: At quam dubia, incerta, ne dicam nulla existentia sit auri hujus vegetabilis, evidenti & facili experimento aperiam. Obtinui scilicet non ita pridem uvam putatitii auri vegetantis miculis 7. oblongis teretibus, coloris omnino aurei nisi quod magis fuscum esset, (ex diuturnitate temporis, per decendium enim conservata fuit) in superficie exornatam, harum duas, relicto vestigio luteo, studio cum decerpsissem, frustra cum ☿io vivo depurato amalgamare conabar, quippe exquisitissima licet diligentia adhibita liberrime miculæ hæ innatabant ☿io. Delatas ergo ad aurifabrum, cum in lapide Lydio ob magnam tenuitatem examinari non possent, in carbone ad lampadis flammam flatu in summam & subtilitatem & longitudinem traductæ & concentratæ qua alias in momento quasi metalla liquantur, naturam harum solicitius indagare cupientes deprehendimus, primo impetu flatu abreptas & dispersas esse, quod ut præcaveremus incommodum, foveola in carbo-

carbone exsculpta, eoque depositis miculis his radios cerei flatu mediante illuc concentratos direximus, quæ primo caloris attactu corrugabantur & per minuta aliquot licet immutabiles quantum visu discernere licuit persisterent, tamen mox sine relicto aliquo sui vestigio vel fumi exhalationisve sensibilis præsentia disparuerunt: unde non sine causa subscripsi non esse miculas has genuinum aurum, proprietatibus scilicet auri carentes & destitutas. Quippe primarius & nulli alio metallo communis character est, ut in minima mole maximum obtineat pondus: ut hinc vi experimenti per instrumenta hydrostatica à Boyleo facti si cubus auri puri unius pollicis numero rotundo dicendo 19. ponderet ex ☿io conflatus pendebit 14. ex ♄no 11. ex ☽ 10. ex ♀ 8. ex ♃ & ♂te 7. cui fundamento etiam tota auri spurii & factitii à vero naturali & genuino dignoscendi innititur methodus, quam etiam Academiæ regiæ Parisinæ seligere placuit: proximus huic est character auri fixitas in igne tanta ut per duos menses continuos in oculo furni vitriarii, ex instituto Ducis Hetruriæ, in perpetuo fluxu sine ponderis aliquo decremento detineri potuerit, cujus experimenti veritatem Boyleus etiam expertus est. Denique inter alia propria est auro improclivitas ad amalgamationem cum ☿rio vivo, ob naturam scilicet hujus auro homogeneam, quippe quod post aurum est gravissimum metallum, & in igne incombustibile atque incorruptibile obtinet corpus, quam avide hinc illud arripit aurum, quam intime ei associatur, quam ægre ab illo avellitur & quam fluidum illud reddit, ut diutius cum hoc tractatum ceræ instar fluat vitraque si Bechero credendum penetret, obvia testatur experientia, ut hinc non male Verulamius dixerit, sicut spongia aquam ita ☿ aurum imbibere.

Non me equidem latet insignis ductilitas auri quam Edmundus Halley in Act. Anglican. adumbrare & explicare voluit dum cylindro argenti ℥ 84. miscuit auri ʒj. ductoq; in fila argento ita ut subtilia unum granum duas virgas Anglic. constitueret omniaq;

 adeo

adeo auro obducta & inaurata esse deprehendit, ut nec microscopii ope argentum transparare observari posset etsi tantum $\frac{1}{27}$ pars grani auri in illa virga fuerit: ex quo aliquod pro defectu ponderis in experimento allegato nostro enasci posset argumentum: nec in dubium vocabo posse aliquo artificio interveniente facilem alias & naturalem auri cum ☿ io amalgamationem frustrare, qua tamen evidentia demonstrabant defensores auri vegetabilis hoc re ipsa hic contingere scire aveo, etsi nec sic quidem suam causam satis probabunt. Vestris autem hanc consecravi observationem Ephemeridibus, quoniam in earum D. v. A. 2. Obs. 113. refertur D. Patersonium Hain acinum uvæ possedisse quem Aurifaber expertus est 27. Carat. esse, vereor tamen ne si igne experiri voluisset naturam ejus, idem mecum subiisset fatum cum auro suo vegetabili: Is ipse enim Aurifaber, in cujus ædibus nostrum instituebamus experimentum, retulit se ante plusculos annos accessisse nobilem Hungarum, ut acinum aureum, quem propriis ex uva extraxerat manibus in lapide Lydio examinaret, quod cum factum esset, metalli videbatur habere naturam, es hat sich streichen lassen/ sed cum ob levitatem suam suspectum esset Aurifabro, dimidium acini hujus ad ignem lampadis uti mecum examinavit, & eodem modo quo meum disparuisse asseveravit. Qui ergo in posterum pro asserenda auri in uvis vegetabilis existentia hoc vestro exemplo uti voluerint, aut meliora dent demonstrationis suæ argumenta, aut suspectæ fidei vel plane non ens illud esse libere confiteantur.

# *OBSERVATIO XLVI.*

## Dn. D. Joh. Adami Reimanni.

## *De Medicina efficaci in ophthalmia non semper æqualiter efficaci.*

HIppocrates, magnus ille Medicorum Dictator statim in proëmio Aphorismorum suorum, Experimentum periculosum

losum, & judicium in Medicina difficile esse, non sine causa confiteri voluit; cum enim natura, quam morborum medicatricem esse experimur, à natura deficiat Medicusque hujus minister non Dominus aut Imperator sit, nec nisi ea recte cooperante aliquid utilitatis conferat corpori humano, quid mirum si experimenta Medico pro subjectorum diversitate varient, nec semper unam eandemque exserant in depellendis morbis efficaciam, hujusque diversi effectus causa Medicos sæpius lateat genuina. Retulit jam olim Lanzonus in Ephemeridibus vestris D. II. A. IX. obs. LIV. infida experimenta medica, & Rommelius experimenta non ubique succedentia D. II. A. X. obs. CXCVIII. exhibuit, sed uterque de remediis superstitiosis vel ut modestius loquar sympatheticis qualitatibusque occultis gaudentibus agit: ego vero in præsenti de Medicina efficaci id est præsidiis Chirurgicis in ophthalmia non æque semper succedentibus methodice licet adhibitis, paucis agam, horumque diversæ energiæ fundamentum quantum potuero detegam, sicut jam olim de præcipuis diversitatis morborum fundamentis horumque curatione diversa in Dissertatione mea Inaugurali Lugduni Batavorum habita quædam memoravi.

Utque à vesicatoriis ordiamur, notum est, ea sicut in omnibus fere defluxionibus catarrhalibus, ita & illis quæ ad oculos fiunt celebrari, nec id sine optato quandoque successu; quid nobis de his innotuit paucis referam. Fœmina nobilis sanguineo-melancholica, aliquot liberorum mater chronica inflammatione oculi sinistri sæpiusque quamprimum se aëri liberiori exponeret recidivante correpta, nescitur qua ex causa fuerat, hæc præter alia medicamenta, quæ aversabatur, consilio cujusdam Medicastri, utrisque temporibus adplicavit vesicatorium, & ex hoc tempore ad præsens usque absque omni ulteriori recidiva sanissima degit. Dolorosa equidem est vesicatorii efficacia hac in parte corporis, experiri tamen voluimus in aliis simili morbo adfectis ægris, sed semper spe frustrati

ſtrati ſumus, licet enim præſentem inflammationem allevia-rent, recidivam tamen tollere non poterant. Cum præterito Anno graſſantibus epidemice inter pueros & infantes vario-lis, quarum Hiſtoriam dedimus in Actis Literariis Wratis-lavienſium, plurimi horum ophthalmiis variisque viſus per ne-bulas, ungues, pterygia, ſuffuſiones &c. deturpationibus & cor-ruptionibus adfligerentur, infidam veſicatoriorum horum pone aures aut in nucha vel brachiis aut pedibus more noſtro loca-torum deprehendi efficaciam, morbum enim non tollebant ſed ad pauculos dies durante nempe effluxu materiæ ſeroſæ mitigabant, taceo dolorum impatientiam in ſimilibus ægris & inquietudinem inde prognatam, qua impediebamur uti recen-tiorum artificio admixtione ſcilicet emplaſtri veſicatorii por-tiuncula, ordinario veſicatis locis adponi ſolito emplaſtro, pro conſolidatione ita impedienda & ad pluſculos dies ad-aperta veſica conſervanda, utpote ex quo ipſi adultiores ma-jores fere quam ex ipſo veſicatorio ſentire quærulantur do-lores; ſubſtituimus vero optato ſane cum ſucceſſu fonticulos in brachiis, qui minori cum moleſtia ope cauterii potentialis excitabantur, & geſtabantur, continuatoque effluxu ſeri viſcidi malum non tollebant ſaltem ſed ab omni recidiva & ulteriori noxa certo & conſtanter tutabantur.

Nec in hac ſolum ætate fonticuli officium faciunt, ſed in adultioribus quoqe præſentaneam horum efficaciam experti ſumus non ſemel. Vir 28. annorum ſanguineus, obeſulus, ſeden-tariæ & otioſæ vitæ deditus, oculorum inflammationem incur-rere ſolebat quoties frigidior aura eum afflaret, hic ex quo in brachio oppoſito fonticulum ſibi inuri paſſus eſſet noſtro con-ſilio, nunquam amplius eam ſub maximis etiam aëris tempe-ſtatibus expertus eſt, quam prius fruſtra præſervatorio fine ad-hibita Vſne in pede ſupprimere tentaveramus. Sed nec in hoc conſtans apud omnes eſt efficacia poſſemus; ſi res exige-ret in contrarium allegare experimenta, & occurret inferius juvenis nobilis manifeſtum exemplum.

Ulti-

Ultimum idque potentiſſimum in morbis his recidivantibus eſt ſetaceum in nucha more ſimpliciſſimo recentiorum, elevatam nuchæ cutem ſiniſtra à chirurgo & dextra à miniſtro acu filo ex ſerico non contorto inſtructa perforando excitatum: efficax hoc Victor Tricanvellius, & Scultetus præſtantiſſimum vocant remedium, & certe ſi qua ſalus ſperari poteſt in morbis oculorum, in hoc poſita eſt. Obverſatur noſtris indies oculis Præfecti Salisfodinarum Sovarienſium Cæſareo-Regii Filius, qui 8. annorum puer exiſtens, diuturna ſcabie adfectus, & neſcio quali medicatione uſus, tantam tandem incurrit ophthalmiam ut nec minimam perferre poſſet lucem, ſed veſpertilionis inſtar obſcura incoleret continuo loca; adeo ut jamjam cœcitas ex ſuffuſione incipiente deturpato lævore corneæ & humorum pelluciditate immineret: fruſtra per notabile temporis ſpatium à ſuo Medico tractatus prognoſtico relictus noſtro conſilio uti vult, ut ſi quid adhuc in medicina opis eſſet, experiar: Duro nodo durus requirebatur cuneus, ad laqueum in nucha id eſt ſetaceum, ſicut vocat Amatus Cent. 4. Curat 68. ceu ad ſacram confugio anchoram, quo facto quamvis copioſum viſcidumque ſerum ploraret ulcus, transacto integri menſis ſpatio paucula ſpes affulgebat tandem, nil enim levaminis conſpeximus, niſi quod veſpertinis horis candelæ debile è longinquo lumen inſpicere poſſet. Magnam nihilominus parentibus anxiis de filii unici ſtatu fecimus ſpem, nec fruſtra, ſucceſſu enim temporis oculi ſerenari, & omni inflammatione vacui & liberi eſſe incœperunt, ita ut poſt 9. menſium ſpatium in integrum quoad utrosque oculos convaluerit, relicta ſaltem nubecula in uno horum, quam pinguedinis viperinæ uſu feliciter ſine omni viſus noxa, non ſine inſigni praxeos noſtræ tum temporis augmento ſuſtulimus: Alius puer nobilis ſimilis fere ætatis, adhuc geſtat ſetaceum, cum poſt variolas hac hyeme prægreſſa ſuperatas, inflammationes oculorum ſingulo plenilunio recidivantes cum narium obſtructione continua, fœtore & tumore metuque ſic ozænæ experiretur,

ſimulque diuturnitate mali ſuffuſionis initia in oculis monſtraret, hic hoc ipſo remedio in tantum convaluit, ut nil niſi nubecula tenuis viſum tamen non impediens ſuperſit in cornea, nec recidivæ amplius obnoxius ſit: Contigit autem quodam tempore, quod ſetaceum pro more ſuo ſerum excrementitium non ploraret, unde ſtatim gravius quoad nares & oculos habebat, juſſimus ergo zonam inungere unguento digeſtivo, quod cum pulvere cantharidum roboravimus, cum præſentaneo effectu, proritato namque priſtino efflюxu ſanitas etiam redire cœpit poſthac conſtans. Non opus eſt utilitatem hujus remedii pluribus deprædicare, proſtant exempla apud Gabelchoverum, Horſtium, Hildanum, Glandorpium, Amatum, Scultetum, Wedelium & alios, unicum tamen adhuc referam maturioris ætatis ægri exemplum.

Juvenis nobilis 23. annorum, ſanguineo-melancholicus, ex Academiis in patriam reverſus ſcabiem contraxit, cujus tædio captus, & citam liberationem expetens linimento ſulphurato ex conſilio muliercularum uſus, liber ab ea evaſit, ſed mox inflammationem oculi ſiniſtri inſignem incurrit, quo hæreditario quaſi vitio fratres etiam pleroſque adfligere ſolebat: hæc quamvis primo tempore ſæpius diſcuſſa fuerat, progreſſu tamen temporis adeo invaluit, ut totaliter nunquam abigi potuerit, & æger hinc plane libero aëri ſe exponere non auderet, nec lucem aliquam perferre poſſet, palpebræ ſomni tempore præter hæc adeo conglutinabantur, ut evigilans absque externa ope diducere palpebras non potuerit: uſus eſt hinc conſilio celebris in vicinia Medici, qui præmiſſis methodice univerſalibus, venæſectione, ſcarificatione, repetita, multisque internis & topicis exquiſitis remediis malum tollere fruſtra conabatur, donec ſetaceo in nucha exſtructo in tantum ægrum reſtituerit, ut jam in aperto aëre quoque ſed tranquillo iter facere poſſet; cum vero ſetaceum partim moleſtum eſſet, partim non ploraret humiditatem, ita ſicut ab initio excitato fonticulo in brachio collaterali, illud coaleſcere paſſus eſt; durabant

bant ita induciæ per quadrantem anni fere; poſthac vero fluente licet fonticulo ſatis copioſe, priſtini recruduerunt labores, cum conſumptione corporis hectica & ſudoribus nocturnis: Hic multa rurſus quæ ratio & experientia ſuadebant, ad nos delata curandi provincia, adhibuimus, ſed laterem lavimus, donec reparato corporis habitu ex parte & hectica ablata ſetaceum iterum poneremus, cum prius veſicatoriis in temporibus & hirudinibus poſitis negotium abſolvere fruſtra tentaſſemus, etſi ex hirudinum uſu ad aliquot dies inſigne emolumentum conſpexerimus: cum ſic per ſetaceum affluxum humorum divertiſſemus, rediit tardius licet tolerabilis ſanitas ut ſe etiam libero aëri tuto jam exponat nec tam gravi malo recidivanti amplius obnoxius vivat. Inter topica mihi familiaria laudem meretur ▽ calcis vivæ cum portione certa ☿ii ſublimati roborata ſeu inprægnata, hæc enim duplicatis linteis adpoſita egregie inflammationes reſolvit: in præſenti vero juvene optime ſe geſſit linimentum, ex bolo Armena, ſacharo ♄ni & pinguedine viperina conflatum, quoties enim palpebras inungeret, toties inflammationis concrementum notabile expertus eſt, nec palpebrarum tanta fuit conglutinatio: efficaciam vero Collyrii D. III. A. VI. & VII. Obſ. 185. laudati, deprehendere non poteramus.

Hæc utut vera ſint, contrarium tamen etiam de efficaci hac medicina experti ſumus inter alia in fœmina 26. annor. denſioris corporis habitus: quæ licet menſtruum fluxum debitum experiretur, in ſterili tamen conjugio hactenus vixit: erat hæc à multis annis cephaleæ obnoxia & leviori oculorum inflammationi, cum aciem eorum intendere valde debuerit in juvando ſuo marito, qui Aurifaber fuerat; facto vero æſtuoſa admodum tempeſtate itinere quodam, cum radiis ſolaribus toto die expoſitum caput haberet, gravem incurrit ophthalmiam, qua diſcuſſa ex parte animadvertit in dextri oculi pupilla foveolam obſcuram, viſum impedientem ſimulq; obſervat oculum hunc altero contractiorem, nec ſe palpebras in

oculo adfecto debite diducere posse, sicut fit in sano initium suffusionis adesse rata, ex consilio Chirurgi formicarum acrem liquorem instillavit, sed post magnos exinde natos ardores ob acrimoniam malum deterius esse potius animadvertens intermisit usum, ruborem & ardorem fere constantem posthac oculi, solabatur cum flore lactis & viridis æris portione in linimentum redacto, quo palpebras inungebat: oculus semper hinc siccus fuerat, nec ulla unquam serositas observari poterat, imo si flens humectaret eundem melius sibi esse laudabat. Consilium nostrum expetens inducta aliorum exemplis, quamvis malum fore incurabile suspicaremur; quod foveolam illam vel ex resiccatione crystallini (referebat enim circulum) vel corneæ aliqua lamellarumque hujus ruptura productam judicaremus, tamen experiri voluimus utrum aliquam alleviationem conferre ægræ liceret: fonticulum quem in brachio sibi jam ante excitaverat siccum esse continuo fatebatur, & cum topicis nullum levamen procuraretur, à pinguedine viperina in pejus haberet experiri voluit setacei efficaciam, sed sine ullo effectu, quamvis enim aliquantum flueret hæc materia serosa plusquam ex fonticulo, tamen ardorem & ruborem oculi (**es breunt recht**/ ajebat) tollere non licuit. Ita quoque viro quadragenario majori ex spiritus vini abusu, ophthalmia seu rubore oculorum continuo & trachomate adfecto, recordamur alterius Medici consilio frustra adhibitum fuisse setaceum.

Jam ergo sicut sutor omnium pedibus unum calceamentum adplicare non poterit, ita & Medicus omnis ætatis & conditionis homines uno eodemque non servabit remedio: quo vero selectu opus, & quod diversæ in morbis propositis efficaciæ fundamentum sit consideranti præmissa experimenta medica, haud plane obscurum esse potest, nos concludimus vesicatoria setacea ipsosq; ex parte fonticulos in ætate juniori & teneriori constantem magis & certam præ adultis exserere efficaciam: sique majoris ætatis hominibus quidpiam in morbis simili-

ſimilibus utilitatis conſcire debeant, humidioris & laxioris temperei ſubjecta ſint oportet, in ſiccioribus enim aut nihil aut parum proderunt, ſi non nocebunt, probavimus hoc enarratis obſervationibus, nec aliter eſſe poſſe à priori ex eo inter alia conjicimus; quod vaſa fibræque corporis humani in inferiori ætate ceu in incremento conſtituta, modificationem promptius admittant, ut ſic tono & ſtrictura moderata, congeſtiones humorum ad certa loca, diverti, revelli & organismus materialis, id eſt, viarum reliquarum motus inſtrumentorum conditione, circulantisque humidi qualitate, correcta, penitus ſupprimi & tolli queant: inprimis cum natura nondum per aſſuetudinem diuturnam pertinaciter erroneis ſuis motibus inhærere hac in ætate ſicut in adultiori didicerit: unde pubertatis tempore ſæpius multos magnos ſubigi experimur morbos. In majoris vero & maturioris ætatis ſubjectis nec tam facile ſolidorum ſtricturæ & criſpaturæ tolluntur aut corriguntur, ſed nec humores ceu craſſiores & fibroſiores per factitia hæc emunctoria depurati ſecedere poſſunt, unde veſicatoria, fonticuli & ſetacea, aut parcam plorant humiditatem, aut cito reſiccantur & inflammantur, idque quo magis quis ſiccioris corporis habitus eſt.

Neque vanus eſt Plempius cum veſicatoria in ſiccioribus adaugere malum ſcribat, quod majorem ſolidorum oſcillationem promovendo ſanguinem ſimul inflammet: ſi enim veterum excutiamus monumenta in morbis ſoporoſis potiſſimum ubi excitatione opus erat, & à colluvie ſeroſa, non reſtagnationibus ſanguinis genuinis oriundis adhibita fuiſſe diſcemus: hinc multi ex recentioribus promiſcuum eorum non in oculorum ſaltem vitiis, ſed febribus potiſſimum damnarunt uſum. Nos experientia duce, putamus ea unice neceſſaria eſſe in morbis his, ubi præſentanea & cita revulſione opus eſt, in principio morbi, & à cauſa externa potius quam interno vitio ſeri ſicque malo chronico, prognatis; alias fonticulos mallem, qui una & revellunt & peccans ſerum imminuunt & educunt:

cunt: quid his in infantibus 5. vel 6. annorum horumque oculorum morbis tribuat Ettmüllerus, videri potest in Colleg. Pract. §. 18. cap. 1. fol. 15. nec timenda tam facile est aridura vel debilitas brachii aut incrementi defectus, possunt enim ante pubertatis annos iterum occludi & supprimi; quot novi infantis & pueros, qui cum ulceribus multam humiditatem plorantibus, optime adoleverunt sine pedis debilitate vel incrementi defectu aliquo! Setacea ejusdem cum fonticulis sunt usus, nisi quod ob propinquitatem loco adfecto præsentiorem & certiorem exserant efficaciam, hinc in contumacioribus & chronicis oculorum malis merito præ fonticulis præferuntur.

De venæsectionis porro utilitate nihil testari possumus, hoc fateri debemus, nos eam efficaciam, quam Galenus in adolescente, qui ab Erisistrato Medico αἱμοφόβῳ frustra diu tractatus fuerat, expertus est, non deprehendisse, fuse enim libro de venæsectione cap. 3. recenset, quod statim ac ipsi ad ℔ IV. sanguinis extraxisset à phlegmone & fluxione liberatus sit, ut res incantationi similis videretur de velocitate curationis obstupescentibus, contrarium potius observationes nostræ docent, sive quod peculiaris aëris vel subjecti fuerit idiosyncrasia, sive quod nostra ætate tam copiosam sanguinis eductionem non instituamus, quod nobis verosimillimum esse videtur.

Commode mihi hic incidit historia Viri prænobilis, qui in juventute sua valde obnoxius fuerat ophthalmiis, hic Dantisci existens frustra prius in consilium vocatis Medicis ejusdem urbis primariis, ab empirico & circumforaneo quodam brevi curatus est: assumendo per 7. dies continuos purgans drasticum, quod 30. vicibus eum sellulare cogebat, quibus quidem artibus vix non enecatus est, ita ut de vita sollicitus alterius consilio uti debuerit, immunis tamen ab omni ulteriori recidiva in præsens vixit: Morbo sane remedium gravius! purgantia quidem in morbis oculorum certa & constans experien-

perientia commendat, sed quomodo in præsenti viro omnem ulteriorem recidivam præcavere potuit excessiva purgatio? Fateor me ex mechanicis principiis nihil hic concludere posse, dicam tamen quid sentio, subesse hic moralitatis quandam considerationem: ponamus trabem ligneam angustiorem cui subjacet præcipitium aliquod, si per hanc quis progredi jubeatur, vacillabunt pedes horrorque corripiet corpus; cum si in planitie aliqua collocata eadem trabs fuerit, libere & sine omni difficultate quisque eam calcabit; quæ causa materialis hic est? nulla sane, sed anima sive natura prævidens imminens periculum in priori casu, cum renisu aliquo pedes commovet; ita in recensito casu natura metuens sibi intentatum interitum, motuum quos pertinaciter hactenus continuabat rythmos negligit & intermittit penitus. Simile quid de me ipso referam: In primis meæ juventutis annis odontalgiis frequentibus laborabam, quæ semper tumorem œdematoso affinem in maxilla relinquebant: cum vero in itinere Hollandico me idem corripuisset malum, negligentiusque tumorem curare debuerim, suppuratus & ruptus est: ex hoc tempore nunquam amplius tumorem expertus sim etsi odontalgia posthac sæpius me adflixerit.

Quid denique de cura inflammationis oculorum chronicæ per abscissionem capillorum capitis observarim referam: idem nempe quod D. Preussium in historia morbor. Vratislaviens. An. *1699.* observasse scribitur, quod tussis successerit ophthalmiæ ita curatæ quam ille laxantibus sustulit: at vero in viro nostro tussis tam contumax est, ut sæpius se phthisicum factum fuisse metuerit & præterea pruritum totius corporis molestum experiatur: sine dubio ob denegatam excretionem humorum per capillos alias ferri solitorum factam metastasin ad pectus & corpus reliquum: degit tamen adhuc tollerabiliter ex quo venæsectione in pede æquinoctiali tempore & infuso laxante uti ex consilio nostro incœpit: In aliis

effica-

efficaciam hujus remedii experiri nec volui nec potui, quoniam capillitio apud nostros major quam Germanos honor est.

# *OBSERVATIO XLVII.*
## Dn. D. Gottlieb Ephraim Berneri.
## *De Ruptura & conquassatione vesicæ urinariæ.*

VIr 30. annorum major, è gente rurali, cum in vicinam urbem, frumenta venundanda vexisset; bene potus, curru domum vehens; in itinere impetus & furor equos corripit, ut habenis minus audiendo, currum traherent eo, quo ire animus non erat, rusticus somno indulgens, expergefactus, è curru desiliendo & habenas arripiendo, pro domandis & dirigendis equis, impetu & ferocia eorum in terram prosternitur, ita quidem ut abdomen ad terram applicaretur. In qua prostratione jacens, currûs posterior rota, intra tibiarum & crurum spatium intermedium procurrens, versus clunes impetuose adigitur, ut transcendendo easdem, versus dextrum latus directa, terram denuo attingeret. Quo ipso contigit, ut abdomen ingenti vi, & impetu versus terram adigeretur & comprimeretur. Eodem momento dolores vesicæ obtusos sentit, cum suppressione urinæ omnimoda; nocte & die sequente, scrotum in ingentem molem intumescit; siquidem cum advocaremur pilei majoris amplitudinem spectandam dabat, cum rubedine & nigrore intensioribus, de inflammatione & sphacelo scroti testantibus; perrumpente & transudante, plerisque in locis scroti, lymphâ. Pro meliori evacuatione & defluxione seri, inciditur scrotum à Chirurgo, & applicatur cataplasma, ex herbis discutientibus & resolventibus, in vino coctis; sed ptogrediente putredine sphacelosa, consumpsit scrotum integrum, ut testiculi nudi conspicerentur, nec conte-

contegerentur amplius, ab ulla scroti tunica, vel membrana; febre præsente continua, cum pulsu frequenti, parvo & debili, attamen æquali, cujus respectu sudorifica quædam emulsio, pulveribus diaphoreticis & absorbentibus mixta, præscripta fuit. Abscedente itaque scroto, cum omnibus suis membranis, generatus fuit callus, qui testiculos tegeret & defenderet ab externis injuriis, ita tamen ut utrimque unus distinctè jaceret & conspici posset. In dextro latere musculi glutæi, abscedebat cutis, thaleri magnitudine, rubicundâ sese conspectui præbens, plorans liquorem, qui pro urina à Chirurgo habebatur, continuans rivulum hunc consuetum, toto illo tempore, quo urina per scrotum defluebat, nec per ordinarias vias urethræ exibat. Scroto novo callo instructo, urina per urethram denuo stillare incipiebat, & fons ille lymphaticus in clunibus, desiccari incipiebat. Convaluit rusticus, secundas inivit nuptias, aptus existens ad procreandam sobolem, siquidem vasa seminifera testiculi, sub tunica sua albuginea illæsa & integra manserant; abscedente saltem scroto, ob ingentem urinæ inundationem, à conquassatione vesicæ, & ruptura ejusdem abdomen illabente, & per tunicam vaginalem, scrotum occupante, ad inflammationem, gangrænam, sphacelum, & abscessum, dispositum.

# *OBSERVATIO* XLVIII.

## Dn. D. Gottlieb Ephraim Berneri.

## *De fungo mammarum cancroso.*

MUlier viginti sex præterpropter annorum, ad cachexiam prona, lactationis officia infanti ex conductu præstans, noctu per plateas incedendo, horrore insigni, ex viso phantasmate, per totum corpus afficitur, succedente æstu. Quo cessante, in sinistra mamilla nodulum avellanæ magnitudinis, cum aliquali dolore sentit. Nodulum hunc discutere, ipsi

fuit animus; quare suasu anicularum, folia brassicæ rubræ imposuit; ex cujus usu dolor aliquatenus cessavit, in lactatione infantis, sibi concrediti, pergendo. Post duodecim vel sedecim septimanas, augetur potius tuberculum istud, interius in mamma latens, quam quod evanuerit; inflammatur mamma & tuberculum in abscessum abit; sic ut pus saniosum perforaret mammam, & hac ratione ulcus mammæ induceretur. Tandem ulcus in ingentem hiatum ad palmæ latitudinem dilatatur, & tuberculum istud in tantam altitudinem excrescendo sese extollit, ut ultra dimidii digiti altitudinem, ultra superficiem mammæ promineret; diversa in capita & ramos veluti divisum; **gleich einer mittelmäßigen Staude von Blumm-Kohl** abiens, venis horridum sanguiferis, & tumentibus sanguine crasso & atro, lacte quin etiam coagulato & præcipitato, ubique hinc inde circa radicem fungi & poros ejusdem scatente, & ad latera ejus promanante. Chirurgus eam ad me adducendo, consilium poscebat. Adhibitis igitur universalibus, curæ nos adcinximus. Et quidem, cum per excrescentiam illam fungosam & cartilaginosam, chirurgus acu filum traduxisset, quo ipso fungum attrahere posset, ad extirpandam radicem ejus; sed novacula quidem partem fungi istius cancrosi per medium abscindendo, basin ejus, & radicem relinquebat, quæ quoad latitudinem suam, majorem fungi partem constituebat. Cum vero fungus insignibus ramificationibus venarum instructus erat, sanguis sat copiose profluebat; imprimis subsiliendo prodire conspiciebatur, pulsum arteriæ sequens & simulans, cum tamen in fungo nulla arteria læsa fuerat, siquidem nulla arteria, in similes concrescentias abit, multo minus in iisdem generatur, seu de novo producitur; sana vero mammæ pars intacta manserat à novacula. Lipothymia tentata ægra adhibitis sanguinem sistentibus substitit idem; sicuti animus quoque ad sese rediit. Post aliquot dies cum ulcus & vulnus mammæ aperiretur & removerentur ad sanguinis profluvium adhibita medicamenta, sanguis

guis quidem, sed non tam copiose rursus promanavit, quare adhibitis denuo sanguinem sistentibus, animadvertimus, fungum, non exiguum denuo incrementum sumpsisse; cum enim altius radicatus esset, ita ut nec filo trajecto, eousque attrahi posset, ut novacula in sana parte mammæ exscindi posset, sed per medium saltem fungus secaretur, restitit magna ejus pars, plane cartilaginosa. Adhibito igitur pulvere sequenti ex radice aristolochiæ rotundæ, lap. ♋ myrrha, calam. arom. & mercurio dulci, copiose & undique implevimus cavitatem dicto pulvere, & spatium quod fungus occupabat; singulis matutinis renovando pulveris impositionem; qua ipsa quidem pulveris admotione, tamen non desiit fungus accrescere & augeri; sed findebatur fungus, qui antea solidus erat, sic ut racematim veluti dehisceret planities fungi dissecti. Juxta hanc igitur dehiscentiam racematim, & per frusta ulterius exscindebatur, & seperabatur fungus à sana mammæ parte; ut optima rubicunda & sana accresceret caro, fundusque ulceris pulvere supra dicto repletus, mundus appareret, ac tandem sub continuatione ejusdem pulveris, cavitas mammæ aliàs insignis, solida & sana repleretur carne. Interne præscripsimus diaphoretica, cum absorbentibus sub pulveris & mixturæ forma; quibus ipsis remediis, tam externe quam interne exhibitis, optimè convaluit ægra.

# OBSERVATIO XLIX.

## Dn. D. Gottlieb Ephraim Berneri.

## *De Araneæ punctura & ejus Medela.*

CUm Cothenis Anhaltinorum Physici ordinarii munere fungerer, fulloniæ operarius 30. præter propter annorum, cum in lecto quietus decumberet, nocturno tempore somno indulgens, sentit araneam rependo, genam dextram adscendere, quæ ipsa supercilia & oculos somno clausos transgre-

diens, fortè læsa, durius alliso suo corpore ad rigidos superciliorum & palpebrarum fibrosos pilos, ictum infligit, tres vel quatuor lineas infra supercilia, in medio fere palpebræ oculi dextri, satis sensibilem, & primis post ictum intervallis, satis dolorificum, siquidem idem satis profunde penetrasse spectantibus apparebat, qui ictus suggillationis speciem præ se ferens, in orbem teruncii diffundebatur, rubicundo-purpurei & lucidi coloris, tumore comitante cutem superciliorum, & palpebrarum subjacentem, cum emphysemate, & dolore exquisito, & tumore palpebræ superioris insigni; ita ut oculum quoad latam circumferentiam obtegendo, & claudendo, radiorum aditum arcerent. Præterlapso 24. horarum spatio, ictus & circumferentia, gangræna tangebantur, & colore sphaceloso, nigro & livido apparebant; Neque hic subsistebat gangræna, & sphacelus, sed ulterius serpendo, supercilia, & palpebram superiorem dextram, versus utrosque oculi canthos occupabat, imprimis glandula lacrymalis in majori oculi cantho sita, inflammatione, gangræna & sphacelo afficiebatur, ita ut sub inflammationis statu, serum lacrymale copiosè exinde stillaret. Inferior oculi palpebra intacta & sana persistebat, nec inflammatione, vel gangræna, vel sphacelo tangebatur, quia abscondebatur sub superiore. Tunica oculi adnata seu albuginea rubicunda & inflammata apparente, quæ tamen nec ad corneam serpebat, nec ulteriorem oculo labem afferebat; siquidem pupilla clara & pellucida, per totum morbi decursum erat, saltem, quod altera oculi sinistri tunica albuginea, & glandula lacrymalis, inflammationem successu temporis subierant, licet nec adeo diffusam, nec molestam; Nec solum sphacelus palpebram superiorem, & internum oculi canthum, cum glandula lacrymali occupaverat, sed pergebat quoque ad partes infra oculum sitas, & successivè stragem sat magnam genæ dextræ inferebat, cutaneas saltem partes invadendo, & depascendo, ubi primo livor, mox nigredo intensa apparebat, imprimis illas partes invadens, ad quas lacrymæ,

ex

ex cantho oculi ſtillabant, & pertingebant, quæ ſine dubio ex glandulis minoribus palpebræ ſuperioris ſtillando, partes genæ afficiebant, intactis palpebræ inferioris partibus, utpote ſupra quas ſuperior palpebra ſeſe extenderat, ita, ut pura & intacta manſerit ab acri, ſeptico, & venenoſo liquore. Nigredine igitur & ſphacelo, ulterius cutaneas partes occupante & ſerpente, cogitandum erat de apto remedio, ad vim veneni ſiſtendam & inhibendam, ne ulterius partes in ſui ditionem traheret: Applicuerat Chirurgus qui initio ſolus ad curam vocatus erat, varia ex myrrha, camphora, unguentum fuſcum Würtzii, cum oleo ovorum, ſed fruſtra hæc erant omnia, ſiquidem pinguia, & unguinoſa, in ſiſtendo ſphacelo vel gangræna parum proficiunt, & contra indicationem rationalem pinguia hic adhibentur. Variis tentatis, in nullo præſentius levamen percepimus, quam in applicatione eſſentiæ caſtorei, paratæ cum ſpiritu ſalis armon. quæ colorem nigerrimum, ſtatim, per aliquot horas in petiis impoſita, & pluma illita, mutabat in cæſium, quo colore apparente ſiſtebatur, nec ulterius ſerpebat gangræna & ſphacelus; partes vero, quæ occupatæ erant à ſphacelo, poſt applicationem dictæ eſſentiæ, (imo ſub nigro colore jam tales erant) in pellem veluti aridam convertebantur, arctiſſime cohærendo cum partibus ſanis, ſub pelle iſta exiſtentibus; Ita ut ſcarificatione incidenda eſſet cutis usque ad ſanam partem, in qua patiens denuo dolorem & acumen lanceolæ percipiebat, & quæ ſanguinem ſtillabat floridum; ſicque exulceratione nova facta, per applicationem digeſtivi ſucceſſivè ſeparabatur pellis iſta fibroſa, à ſana ſubjecta parte; Imprimis vero ſat magnam portionem, per ſcarificationem amiſit palpebra ſuperior, quæ omnium maximè, præter partem, puncturam perpeſſam, ſphacelo tentabatur ſicuti & portio quædam carúnculæ lacrymalis abſcedebat, ut & magna palpebræ ſuperioris juxta profunditatem ejus ſuperficiei portio; peracta cura, palpebra ſuperior ultra ſphæram, paululum propendebat, nec tamen viſionem

impediendo; Interior oculi bulbus ſanus perſtiterat, tempore curationis, ſic ut viſus perfectè rediret, palpebris à tumore liberatis. Interius adſumendum nihil fuit præſcriptum, quam decoctum lignorum, & pulvis abſorbens & diaphoreticus, quo per aliquot hebdomadas continuato, rediit cum ſanitate in gratiam æger.

# *OBSERVATIO L.*

## Dn. D. Danielis Fiſcheri.

## *Anatomia hydropicæ.*

ANcillæ 26. annorum, pauco cibo & potu contentæ, ac à primis ætatis annis valetudinariæ, ſenſim venter tumere incepit, quo viſo, impraegnatam eandem eſſe Magiſtratus oppidanus Leibicenſis credidit, idcirco etiam in carcerem conjecta, ut ibi expectaret præmium ſuæ malitiæ; ſed cum jam ultra tempus impraegnationis in carcere detineretur, nullus tamen partus ſequeretur, ex eo liberata, valetudinaria per ſesquiennium apud amicos degit, tumore indies creſcente, ut tandem nec loco ſe movere potuerit, ac paupertatis cauſa, conſilio omnis medicationis excluſa, tandem obiit. Defunctam ergo, cum rogarer, ut cultro anatomico ſubjicerem, ad innocentiam ejus magis detegendam, petitioni haud deeram, atque cadaver, præſentibus quibusdam ex civitate noſtra amicis, ac Magiſtratu oppidano, ſecui, ubi inveni plane admirandum ſitum viſcerum, qualem nunquam vidi. Thorax bene conſtitutus apparebat, niſi quod aquæ libræ duæ circiter in eo continerentur, ac pericardium magis quam ſ. n. ſolet, aqua repletum eſſet, inque dextro cordis ventriculo polypus ad quadrantem ulnæ partem longus, in arteriam pulmonalem protenſus reperiretur. Emiſſis ex abdomine aquæ libris 120. circiter, illud aperui, ac in eo inveni ſtatim ſub diaphragmate ſacculum, ad dextrum hypochondrium vergentem,

tem, in quo contenta erant omnia viſcera deſtinata chylificationi, colationi urinæ, ſecretioni bilis, ac ipſe lien, arteria aorta, ac vena cava, ſurculos ſuos in viſcera ſpargentes, tandemque ſociato inteſtino colo, ex ſacculo exuntes, ex dextro in ſiniſttum latus, & ex eo, inſtar ſigmatis græci in pelvem euntes, ubi ramos ſuos communicarunt partibus genitalibus cruribusque, more apud alia ſubjecta ſolito. Uterus plenus erat aqua, ac veſiculas ſex habuit aqua plenas; in eodem orificium ejus membrana valida clauſum conſpeximus: ligamenta habuit quinque, quibus pendebat in ſacculo ſupradicto, formam tendinum referentia; ovarium in ſiniſtro latere ei haud annexum, aqua & materia purulenta plenum, in magnam molem extenſum; in dextro autem latere naturaliter ſe habebat.

# OBSERVATIO LI.

## Dn. D. Danielis Fiſcheri.

## *Anatomia fœminæ febri ſecundaria laborantis.*

FOEmina hujus loci honeſta, 20. annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, à partus die, laſſitudine ſpontanea, ac doloribus vagis vexabatur, donec tandem vires morbus conſumeret, lectique incolam faceret, ac ab officiis ſolitis liberaret, accedente calore ingenti, febrili ſimili, & inſequentibus etiam deliriis. Ad hunc igitur morbum debellandum, prius morem hic loci ſolennem ſectabantur, ac vetularum utebantur conſiliis, donec tandem neceſſitate exigente, me adirent, quam cum viſitarem, Emulſionem ex ſem. aquileg. nap. papav. alb. c. b. melon. citri c. aq. ulmar. c. b. tiliæ factam, adjecto ſacchar. antim. diaph. & pulv. diaphor. polychr. D. Ludov. exhibui. Verum intra duas horas hæmorrhagia ani magna fiebat, talis quidem, ut loco excrementorum ſanguis

excer-

excerneretur, quo viso profluvio, arbitrabar esse motus naturæ ad salutem directos; sed fefellit me hoc solatium, nam vires haud augebantur, sed magis magisque supprimebantur, hinc sistendus erat fluxus, primo clysteribus emollientibus, dein anodynis. Cum dolores sentiret in abdomine, applicandum esse suadebam cataplasma emolliens, quod calide abdomini imponebatur; Medicamenta cæterum etiam exhibui bezoardica terrea fixa, mixta nitrosis, salinis fixis, cinnabarinis, sed incassum, nam ostendebant se statim secundo die curationis maculæ violaceæ, quibus visis, prognosticum mortis præsto erat. Externe tamen eis apposui spiritum sal. am̃on. mixtum c. ess. myrrhæ, & disparuerant, sed dolor ingens, ardens ac erodens, urinæque suppressio ægram affligebant; adhibitis frustra remediis temperantibus, ac dolorem demulcentibus; tandem obiit. Cadaver cultro anatomico cum aperiretur, deprehendi causam macularum, inflammationem nempe partium, dum omentum ea in parte, quæ pelvim tegit, sphacelatum, eoque ablato, vesica totaliter erosa erat, urina vero in cavo abdominis continebatur, mixta purulentæ materiæ, quæ ad minimum libras duas æquabat; in utero observabam fundum inflammatum, & ligamentum ejus latum una cum ovario dextri lateris sphacelo correptum, ac illa parte, qua vicinis alligatur partibus, divulsum; Intestina crassa putrida, ac multis fistulis stipata. Reliqua vero viscera libera erant ab omni malo.

# *OBSERVATIO LII.*

## Dn. D. Danielis Fischeri.

## *Anatomia pueri variolis extincti.*

CUm hac æstate apud nos, præterita vero hyeme in circumjacentibus locis varioli epidemice sævirent, cujus morbi historiam Annalibus medico-phys. Vratislav. communicavi.

nicavi, inter alios, qui hoc morbo vitam cum morte mutarunt, puerum quatuordecim annorum cultro ſubjeci anatomico, in quo obſervabantur viſcerum inflammationes, & ſuperficies inteſtinorum magna copia variolorum obſeſſa, qui alte admodum tunicam inteſtinorum inſederant, ut parum abfuerit, quin non in eadem penetrarint. Idem etiam obſervabatur in ſuperficie interiori.

## OBSERVATIO LIII.
### Dn. D. Danielis Fiſcheri.
### *Lienteria motibus Lunæ auſcultans.*

PUer 6. annorum ἄνω καὶ κάτω omnia haud mutata rejiciebat, accedente atrophia ſumma ac lapſu virium. In hoc illud ſingulare obſervabatur, quod ad ſingulos quadrantes Lunæ morbus in pejus mutatus fuerit, ac poſt duos dies rurſus remiſerit, tandemque etiam in ipſo plenilunio obierit. Hic morbus optima medicamenta eludebat reſpuebatque.

## OBSERVATIO LIV.
### Dn. D. Danielis Fiſcheri.
### *Sanguis poſt partum non per loca ſolita, ſed per ulcus cancroſum mammæ fluens.*

MUlier 32. annorum, temperamenti cholerico-melancholici, de nodis mammæ dextræ conquerebatur, qui temporis progreſſu magnitudine augebantur; quam cum ſentiret, conſilio vetularum utebatur, ſed infelici cum ſucceſſu, nam cum talis aliqua corroſivum aliquod emplaſtrum mammæ applicaret ad aperiendam illam, ſicque humores hos extrahendos, ecce! cancer occultus, qui adhuc diu conſenſu omnium medicorum, occulte latere in mamma potuiſſet, factus eſt ulceroſus, unde dolores quoque atroces mulierem excru-

ciabant, qui adſtantes adegerunt, ut me conſilii cauſa adirent, quod cum ipſis denegare nollem, tentabam quid medicamenta hactenus à Practicis prolata poſſint. Sed quæ demum cumque illa fuerint, tam externa quam interna, haud proficiebant, nullum enim neque doloris, neque ulceris ſentiebat levamen, niſi excipias medicamentum, de quo Joh. Guſerus in ſeiner kleinen Hauß-Apotheck tab. 3. p. 11. mentionem facit, ſcil. ſtercus humanum: ex hoc ergo paravi & oleum, & prius ſtercus calidum tantum apponere curavi, unde etiam per aliquot dies levamen patiens ſentiebat, ſed tandem rurſus dolores redibant, unde cataplaſma hoc aliquantum corrigere volui, & fieri linimentum ex oleo prædicto & oleo Libani Carpathi noſtri, cum quo inungere curabam ulcus cancroſum, ac deinde ſtercori additum oleum Libani, & ſic cataplaſmatis forma applicatum; quibus adhibitis, cum ad tempus dolores remitterent, deinde tamen redierunr; hinc accepi chelidonii maj. & conſolidæ maj. radices recentes, illisque contuſis addidi oleum ſtercor. hum. & Libani, & calide cataplaſmatis more applicare feci: ſed & hoc ad tempus tantum proderat. Cum ergo vidiſſem nullam medicamentorum vim, exſtirpationem mammæ quidem ſuadere voluiſſem, niſi gravida fuiſſet, viresque illam permiſiſſent. Hinc Deo commiſi eandem, adhibitis tamen medicamentis dictis, modo hoc, modo illo, ad dolorum lenitionem. Adpropinquante autem tempore partus, ille citius & facilius quam antea, ſucceſſerat, ſed ſanguis partus pediſſequus, non per loca à natura provida deſtinata, ſcil. per muliebria, ſed per illud ulcus cancroſum, per triduum fluxit, & tandem intra octo dies ex hac miſeriarum valle ægræ diſceſſit.

OBSER-

# OBSERVATIO LV.

## Dn. D. Danielis Fischeri.

## *Hydrops diureticis curatus.*

PArentis mei noverca, 65. annos nata, matrona honesta, quæ ex sterilitate in cachexiam, ex hac, conjuncta tristitia post obitum pl. Rev. mariti, Mich. Fischeri, Past. prim. in hac nostra civitate, mœroreque per 13. annos durante, in hydropem pectoris ascitemque cum tumore pedum œdematoso incidit. Respiratio erat difficilis, ad metum fere suffocationis, cum conjuncta tussi sicca, venter tumidus apparebat &c. Quibus ergo visis, exhibui prius spiritum aper. Penoti, sal. dulc. elix. pector. ess. absinth. comp. g. ammon. sed sine ullo fructu. Donec tandem sumto purgante ex rad. jalapp. ℈j. ♀. ⊕. gr. xv. primas vias à sordibus liberavi, propinatoque lixivio diuretico ex ligno Carpath. absinth. stip. fabar. combustis & vino generoso extractis, cujus mane & vesperi pro dosi uncias duas sumsit, à meridie vero spiritum aper. Penoti, ammon. ess. absinth. comp. Atque ita per Dei gratiam restituta est in integrum, nulla succedente recidiva. Iisdem medicamentis succurri quoque Rev. Dn. Vernero, Past. Belensi vigilantissimo, nullis aliis adhibitis, qui itidem hydrope ascite cum ingenti tumore ventris laborabat.

# OBSERVATIO LVI.

## Dn. D. Danielis Fischeri.

## *Historia partus difficilis & symptomatum eum comitantium.*

FOEmina 20. annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, ob incendium in civitate obortum doloribus partus spuriis vexabatur; obstetrix & aliæ mulieres adjuvantes arbitrabantur illud jam esse veri partus tempus, sicque confunde-

bant ſpurios cum veris doloribus, ac ægram ad pariendum animabant; ſed cum id per 5. dies incaſſum ageretur, tandem conſilii cauſa me adierunt. Ego ex adſtantibus mulieribus percipiens, fœtum jam inhærere orificio, ſed aquas nondum effluxiſſe, colligebam, ante tempus mulierem ad partum fuiſſe adactam, & cum vires fere in totum laſſæ eſſent, exhibere curavi eſſentiam caſtorei cum aqua cinnam. borag. viasq; oleo amygdal. dulc. inungendas eſſe, nec non cataplaſma emolliens inferiori ventri apponendum; hinc ex inſperato aquæ fluebant; quo facto pellentia exhibui, atque ita intra duas horas aderat fœtus vivus. Sed nondum finis erat hujus tragœdiæ; nam cum jam optime per tres ſeptimanas ſe haberet puerpera, tandem doloribus intolerabilibus fere excruciata fuit, cum animi deliquiis, convulſionibus, tremoribusq; ac aliis ſymptomatibus; atque hoc ob exulcerationes uteri, inflammationes viarum urinæ excretioni dicatarum, & fiſtulas in inteſtino recto præſentes; hinc urina non niſi ſumma cum difficultate & doloribus reddebatur, fæces cum purulena materia non ſine dolore excernebantur. Exulcerationibus uteri injectiones decocti emollientis opem tulerunt; inflammationis medela erat emulſio ex amygdal. dulc. ſem. 4. fr. maj. plantag. portulac. alth. papav. additis lap. cancr. c. aq. petroſelini. Fiſtulis vero debellandis aquæ thermales calidæ loco clyſteris injiciebantur; atque ita reſtituta, nunc in bona ſanitate vivit.

# *OBSERVATIO LVII.*

## Dn. D. Danielis Fiſcheri.

## *Remedium abortus.*

Cum inter cæteros morbos abortus quoque in ſui curationem me invitaret, hinc ne quid à me peccaretur, de remedio ejus cogitavi, quæ cum in uſum ducerem quæ paſſim ab

ab Authoribus practicis proferuntur, ſive illa eſſent adſtringentia, ſive præcipitantia, ſive confortantia, ſed falſo ſic dicta, nihil tamen hinc ſolatii ægris attuli, donec tandem decantatum illud uterinum, caſtoreum dictum, in uſum traxi. Quamvis hoc alias inter emmenagoga numeretur, & hæc in abortu magis noceant quam profint, non tamen eſt metuendum, quod hac virtute aliquam noxam adferat, ſed potius firmirer credendum, quod ſpecifica ſua virtute uterina omnes conatus ſedet, ſymptomataque inde ortum dncentia eradicet; dolores enim partus ſpurios ſedat, mirumque in modum puerperas defatigatas ac viribus penitus fere exhauſtas recreat; & quidem eo melius, ſi addatur eſſentia theriac. c. ol. cinnam. ex gr. ℞. Ess. caſtor. ℈ij. theriacalis ℈j. ol. cinnam. gtt. iij. Atq; hoc remedium non ſemel tantum, ſed pluries, & in 20. jam aborturientibus comprobatum eſt; ſic in ſorore mea dolores ſpurii ante partum per 14. dies præſentes, exhibito hoc, ſtatim ſedati erant: & uxor Dn. Rectoris noſtri, tempore graviditatis multis ſymptomatibus, ac conatibus aborturiendi vexata, idem ſalutare experta fuit.

# OBSERVATIO LVIII.

## Dn. D. Johannis Georgii Kiſneri.

## *De GonorrhϾ ſuppreſſæ noxa.*

NOn ita pridem adoleſcens 30. annorum, nephriticæ conſtitutionis hic mortuus eſt, qui notabile vitium in partibus genitalibus habuit, penis utpote glande non more conſueto anterius, ſed juxta frenum inferius exitum oſtendente. Is creſcentibus annis libidinoſus admodum factus, ut tandem poſt multos exceſſus gonorrhœam gravem, ſi non virulentam incurrerit, quam ipſi, uti poſtea mihi innotuit, Chirnrgus aliquis ſuppreſſerat. Hinc poſt nonnullos, tolerabiles tamen dolores, in exitu urethræ aliquid hærere ſenſit, quod ipſemet

extrahere annisus, tandem integram urethram, à cervice vesicæ usque ad extremitatem penis, prodiisse animadvertit; ex quo admodum perterrefactus, me una cum Chirurgo vocari jussit, qui mox aliquas turundas, pro ductu aperto servando paraverat; quarum æger brevi pertæsus, easdem immittere neglexerat; unde meatus fere penitus consolidatus, vix guttulam urinæ, ejusque cum purulenta materia permixtæ effundere valuerat, nisi argenteo subtili stylo indito promoveretur, & quidem non sine difficultate, cum mox in medio urethræ caruncula deprehenderetur, atque stylus, non minus, ac multi juxta ejus latera parvuli lapilli exitum parantes, intolerabiles dolores excitarent, præcipue dum urina nunquam in quantitate prodibat, nisi simul per fortem vesicæ in perinæo pressionem, eam adjuvaret; ex quo & repetita styli intrusione carnucula & partes reliquæ adeo fuerunt irritatæ, ut inflammatione suborta, scrotum valde intumuerit, eoque aperto tanti fœtoris materia effluxit,ut vix tolerari potuerit; paulo post etiam partes genitales propter omnimodam urinæ suppressionem ita intumuerunt, ut necesse fuerit urethram à fine penis usque ad carunculam super stylo excavato aperire, ex quo urinæ facilior quidem & copiosior effluxus contigit, vires tamen sensim sensimque decreverunt, ut post paucos dies mors subsecuta fuerit; cadaveris autem apertionem amici denegarunt.

## OBSERVATIO LIX.

### Dn. D. Danielis Nebelii.

### *Aneurisma arteriæ magnæ & utriusq; emulgentis post resectionem testiculi, & aliud fere consimile ex lapsu ab equo.*

VIr triginta & aliquot annorum temperamenti sanguinei & corporis robusti, in cœlibatu vivens, contraxit ex frequenti

quenti equitatione testiculi dextri scirrhum, qui nullis remediis tam internis, quam externis, à me & aliis Medicis præscriptis cedens sensim ad pugni magnitudinem excrevit & tandem ab herniotomo totus testis cultro feliciter resectus, factaque dein ejus incisione jam interius corruptus visus fuit. Ab eo tamen tempore dolor tensivus in dextra lumborum regione juxta ductum vasorum spermaticorum molestus fuit, qui per duos ferme annos paulatim cum sensu ardoris & pulsationis auctus totum quoque crus dextrum occupavit & utriusque dein tumorem œdematosum, nec non ventriculi & intestinorum flatulentam ac dolorificam distensionem, nauseam, dysorexiam, oris amaritiem & crebros ructus murmuraque ventris intulit, somnum turbavit, & febrem lentam, respirandique difficultatem produxit, quæ tandem præterito autumno vitæ finem imposuit, postquam media æstate aqua thermalis Wisbadensis sine levamine hausta & dein plurima remedia frustra in usum vocata fuerunt. Die XII. Sept. anni MDCCXVIII. corpus defuncti cultro anatomico subjectum exhibuit 1°. omentum maximam partem absumtum, contractum atque lividum. 2°. ventriculum flaccidum & sine labe. 3°. renem dextrum putridum, cui ut & vicinis lumborum partibus adhæsit aneurisma proximæ arteriæ magnæ ex tenacibus & rubicundis membranis hic illic corruptis & coagulato serosoque sanguine repletis constans, quod decem circiter librarum pondus æquavit & ventriculum sursum versus diaphragma pressit. 4°. renem sinistrum per se quidem illæsum, sed cui annexus fuit tumor subrotundus, mediocris pomi magnitudine, intus ex pluribus tunicis constans & cruore materiaque tartarea refertus. 5°. pulmonis lobum dextrum & subjectum hepar inflammatum atque gangræna infectum. Et hæc quidem ita à Medico Ordinario sectionem corporis instituente relata fuerunt, quæ tamen minus accuratam partium læsarum descriptionem exhibent, licet ex omnibus circumstantiis satis, me judice, pateat, post resectum testem dextrum sanguinis

circui-

circuitum primo per arteriam ſpermaticam illius lateris & poſtea per aortam eo in loco, ubi hæc arteria ſuum habet exortum, tandemque in utraque arteria emulgente & lobo pulmonis dextro arteriaque hepatica fuiſſe retardatum, cruorem illic collectum, atque ita aneuriſma arteriæ magnæ & utriusq; emulgentis productum. Conſimile fere aneuriſma iu magni nominis Medico, Fautore & Amico quondam meo deſideratiſſimo, die XXIV. Novembris MDCCXVII. defuncto per anatomiam detectum fuit. Poſtquam enim ille ante IV. annos cum equo, quo vehebatur, præcipite cecidit in ſiniſtrum dorſi latus, inde dolorem illius partis continuum ſenſit, primo quidem mitiorem, ſed ſenſim magis auctum, adeo ut ab initio nephritidem ex calculo, poſtea rheumatiſmum adeſſe putarit, tandemque ineunte menſe Novembri, quo dolor accrevit & cum pulſatione continua in loco affecto, ſimul citra externas inflammationis notas intumeſcente, aneuriſma ſubeſſe dixerit ac ſpem recuperandæ ſanitatis amiſerit, ſuborto ſubitaneo & vehementi dolore in loco tumente, repente mortuus. Aperto corpore deprehenſum in cavi abdominis latere ſiniſtro aneuriſma caput triennis infantis magnitudine quodammodo referens, cui incumbebat inteſtinum colon huic tumori annexum & ea parte lividum: in diſſecto tumore concavo & internis membranis diſtincto coagulatoque ſanguine repleto hæſit ren ſiniſter flaccidus & putridus: arteria magna ſupra & infra aneuriſma, ut & vena cava cum ramis lateralibus ſanguine fuit exinanita, in ipſo autem aneuriſmate foramen duorum digitorum latitudine viſum fuit, è quo ſanguis copioſus imminente morte in cavitatem abdominis effluxit, ſubitoque vitam extinxit: reliqua viſcera tam medii, quam infimi ventris ſana ac illæſa fuerunt.

# OBSERVATIO LX.

## Dn. D. Danielis Nebelii.

## *Spasmodica symptomata ex esu coturnicum.*

DIstensionem musculorum plurimos in Doride, Bœotia & Thessalia ex comestione coturnicum contraxisse Galenus l. 6. Epidem. comment. 5. retulit, & spasmum pedum ex earundem esu subortum commemoravit Celeb. Vitus Ridlin. Linear. Medic. Anno 1. pag. 130. Graviora vero symptomata perpessus est quidam Consiliarius Palatinus, cum uxore, postquam præterito autumno in cœna unam coturnicem assatam quivis eorum comedisset: hora enim post cœnam transacta, dum cubitum eunt conjuges, primum maritus & paulo post uxor in sinistro corporis latere spasmodicam tensionem sentiunt valde molestam in cervice & dorso, quæ subinde ab osse claviculæ sinistræ ad illius lateris maxillam subito ascendit, nullo prævio vel sequente vomitu, & hæc quidem symptomata per totam noctem molesta, imo periculosa fuerunt, quia maritus delirare simul cœpit, uxor autem de cordis palpitatione conqueri, quapropter ab advocato Medico antispasmodica & nervina utrique exhibita fuerunt cum levamine & tandem omnimoda omnium symptomatum cessatione, relicta tamen magna corporis debilitate, quæ per plures dies duravit. Ab esu vero coturnicum hæc pathemata exorta fuisse, inde satis liquet, quod tres liberi in eadem cœna idem cum parentibus jusculum paucosque cibos alios appositos, exceptis coturnicibus, assumserint & nullum incommodum senserint. Noxiam hanc coturnicum qualitatem non tam cum Galeno aliisque, comesto Helleboro, qui in illis locis, ubi hæ aves nidificant, non provenit, quam potius Lolio temulento, quo coturnices maxime delectantur & impinguantur, teste C. Bauhino Theatr. Botan. l. 1. sect. 1. cap. 24. ad-

ſcribendum eſſe reor, quoniam illius eſus ſpaſtica ſymptomata inducit, uti ex Celeb. R. I. Camerarii diſp. de Lolio temulento Tubingæ MDCCX. habita ſatis patet. Quoniam autem hoc lolium in agris humidioribus & ſub pluvioſa anni tempeſtate inter avenam, hordeum & triticum copioſiſſime provenit, inde ratio, ut arbitror, petenda, cur coturnices in talibus agris, ubi lolium iſtud luxuriat, captæ & comeſtæ perniicioſiores ſint aliis, quarum eſus propterea innoxius, quod lolio viruleuto non fuerint enutritæ. Et ſic diverſas Scriptorum Diæteticorum ſententias de ſalubri vel nocivo coturnicum eſu conciliari facile poſſe, mihi perſuadeo.

# *OBSERVATIO LXI.*

## Dn. D. Danielis Nebelii.

## *Condylomata in ventriculo Viri, ex ſuppreſſa ſubito ſalivatione Mercuriali, quæ pro conſolidanda fiſtula ani excitata fuerat, mortui per anatomen detecta.*

VIr ſanguineo-cholericus quadragenario major, cui à primis juventutis annis hæmorrhoides ſatis large per intervalla fluxerunt ad virilem usque ætatem, in qua hic fluxus ſubito ceſſavit, ſenſit ab eo tempore dolorem & ardorem in ano cum tuberculis ſubrotundis & molliuſculis illic prominentibus, è quibus ſubinde ſerum cruentum & acre deſtillavit, hisque ſucceſſit excretio plurium condylomatum tenui pediculo in inteſtini recti oris inhærentium, quæ à Chirurgo ſeta equina ligata & ſic brevi ablata fuerunt cum levamine. Dein ſtylo in anum continuo dolentem immiſſo deprehenſa fuit in illius latere ſiniſtro durities quædam atque calloſitas, è qua ſerum purulentum inſtar loturæ carnium nunc effluxit, nunc rurſus ſuppreſſum fuit & per inteſtinum rectum in illo latere eroſum cuniculos fecit in proximis natis ſiniſtræ muſculis,

culis, ubi tumor inflammatorius & valde dolens cum febre ſubortus fuit, ſequente gangræna atque ſphacelo, qui matura partis corruptæ à ſana ſeparatione & reſectione convenientiumque remediorum uſu ſublatus quidem fuit, ſed per hanc ſiniſtræ natis inciſionem profundam exitus fæcibus alvinis paratus, quæ tamen per anum rurſus excluſæ fuerunt poſt inciſæ partis conſolidationem fere plenariam, relicto ſaltem in media nate ſiniſtra foramine calloſo, è quo continuo ſerum flaveſcens atque fæculentum effluxit, indicio manifeſto præſentis fiſtulæ ani completæ, quæ in vicina parte carnoſa plures habebat ſinus, ex quibus inciſis fæces tenui pure dilutæ quandoque prodierunt, uti etiam decocta vulneraria & abſtergentia, quæ prius ano vel patenti fiſtulæ in ſiniſtra natium parte per ſiphonem infuſa erant. Varia remedia in- & externa à Medicis & Chirurgis exercitatis adhibita nullum levamen attulerunt: fiſtulam igitur funditus incidendam eſſe ſuaſerunt nonnulli, quod tamen alii ob ſinuum pluralitatem & profunditatem diſſuaſerunt, donec accitus aliunde Chirurgus calloſas natium partes circa fiſtulam ſenſim & audacter cultro ſuſtulit, fiſtulam dilatatam ſectione, quoad potuit, aperuit, & quia ne hoc quidem modo partium exulceratarum conſolidationem promovere potuit, exhibito medicamento Mercuriali ſalivam copioſius prolicuit & brevi poſt ambitum fiſtulæ in ſiniſtra natium parte nigricantem ac putridum offendit factaque ſeparatione partis mortuæ à ſana illius caſum promovit, ſed ſuborta mox nauſea cum aſſumtorum vomitu & præcordiorum anguſtia ſubito ſuppreſſum vidit ptyeliſmum & totum corpus ſeroſo tumore diſtendi, erumpentibus in cute maculis rubicundis, quæ poſt cuticulæ deſquamationem paulatim diſparuerunt, & decreſcentibus ſenſim viribus, animique deliquiis poſt quatuordecim circiter dies vitæ filum abrumpentibus. In ſecti abdominis cavo ſeri limpidi quinque libræ ſtagnabant, hepar ſcirrhoſum & flaveſcens, lien exiguus & duriuſculus, ventriculus foris ſine labe erat, inciſus autem interi-

orem tunicam glanduloſam innumeris caruncul̄is velut condylomatibus albicantibus, oblongis, intus concavis, extus ſubrotundis, obtuſis & hic illic ſaltem in extremitate bifidis vel trifidis, tenui pediculo inhærentibus, in fundo & lateribus ſtomachi majoribus, in utroque autem orificio minoribus obſesſam exhibuit, qualem rudiori ſtylo delineatam hic ſiſto. In inteſtinis nihil inſoliti deprehenſum. Diſſecta fiſtula ani, pure abſumtus ſphincter inteſtini recti hujusque extremitas livida & pure ſuffuſa comparuit. In pectoris cavo ſeri ſalſi atque limpidi aliquot libræ fluctuarunt. An hæc ventriculi condylomata à reſoluto nimis corporis ſero, in glandulis ſtomachicis congeſto easque valde diſtendente, poſt ſalivationem ſubito ceſſantem, producta fuerint, aliis dijudicandum relinquo.

Vid. Tab. I.

(*Heidelberga Auguſtam Vind. d.* 15. *April. A.* 1791. *miſſæ.*)

# OBSERVATIO LXII.

## Dn. D. Hieronymi Laubii.

## *Poſt variolas confluentes hydrops pectoris & abſceſſus hepatis.*

JUvenis nauta ex variolis confluentibus peſſimi moris anno elapſo in Noſocomio miſere decumbens, iis ægre ſuperatis cruſtisque è facie ac toto corpore fruſtulatim decidentibus per 3. hebdomadas ſatis bene ſe habere viſus, mox nova febri cum ſumma reſpirandi difficultate, decubitu in latera, inprimis dextrum, impedito tuſſique moleſta corripitur, remediisque adhibitis nullam omnino opem afferentibus, poſt trimeſtrem decubitum miſeram vitam cum morte commutat. Cadaver examinantes invenimus lobum pulmonis dextrum inflammatum, cavitatem vero thoracis ſiniſtram ſero copioſo repletam: in hepatis parte convexa inter lobum medium ac mini-

minimum, abſceſſum ovi gallinacei figuram referentem intusq; ex materia flava, ſpiſſa, tenaci in cellulas quaſi diſtincta, propriæ craſſæ ac fere cartilagineæ tunicæ incluſa conſtantem.

# *OBSERVATIO LXIII.*

## Dn. D. Hieronymi Laubii.

## *Arenulæ in glandula pineali repertæ.*

NAvita ſocordiæ, ſpurcitiei ac potui plus quàm laboribus deditus d. 6. Febr. A. 1719. mortuus in platea inventus, ut in cauſam mortis inquirerem, ſectioni anatomicæ demandatus eſt. Exterius circa oculum ſiniſtrum contuſionis notæ apparentes caſum, corpus vero, inprimis pedes maculoſi, ſcorbutum indicabant. Thorace aperto pulmones erant flaccidi, hinc inde pleuræ adnati, cor magnum multa pingvedine circumdatum, flaccidum tamen & ſanguinem valde fluidum cum polypoſarum concretionum initiis continens. Abdominis viſcera pleraque præter opinionem ſana ac firma conſpiciebantur, inteſtina multo ſtercore duro repleta, lien parvulus & durior, ventriculus intus totus inflammatus. Cranio deniq; remoto proxima mortis cauſa apparebat, dura quippe matre ſeparata, utrumque cerebri hæmiſphærium non exigua ſanguinis extravaſati atri & congrumati quantitas premebat. An vero hæc ſanguinis effuſio, ex caſu, cujus indicia circa oculos aderant, an vero caſus ex apoplexia, illaq; ex probabili temulentia, cui aſſuetus erat defunctus, & cujus ſuſpicionem ventriculus inflammatus movebat, ortum duxerit, incertum: frigus vero hiemale intenſum mortem ſimul acceleraſſe non improbabile erat. Interim qui vivus ad nihil fere utilis erat, mortuus ex accidenti curioſo ſpectaculo anſam dedit Cerebri quippe interioribus accuratius inveſtigatis, cum adſtantibus Medicinæ & Chirurgiæ ſtudioſis glandulam pinealem demonſtrarem cum addito: en ſedem animæ Carteſianæ, eamq;

tactu duriorem deprehenderem, ſpectatorum unus jocoſe regerebat: forſan anima adhuc intus latet: exitum ergo me paraturum reſpondens glandulam diſcindebam, intusque tres calculos minimos, vel potius arenulas craſſiores ſubflavas, ſabulum ſcorbuticum vaſis urinariis adhærens referentes inveniebam.

# OBSERVATIO LXIV.

## Dn. D. Hieronymi Laubii.

## *Ren monſtroſus hydropici.*

MIles gregarius vix à Dyſenteria, qua laborans ſub initium menſis Octobris anni elapſi Noſodochio adſcriptus eſt, liberatus in hydropem incidit cum febre per 3. hebdomadas affligente, hincque menſe Decembri anni ejusdem moritur. In ejus cadavere obſervabantur pulmones gangrænæ proximi undique adnati, ſerum in cavitatem thoracis effuſum copioſum cruentum, cor parvulum maximos tamen polypos abſcondens: Abdomen ſero tenaci expanſum, hepar ſcirrhoſum & pallidum, veſicula fellis ferme inanis pauca ſaltem bile craſſa reſidua, lien flaccidus, inteſtina mire contorta & in unum quaſi globum umbilicum verſus coacta, colon durum, & in duodeno 2. vermes, qui ſine dubio dolorem illum, de quo illa in regione æger conqueſtus erat, non parum auxerant. Renes erant pallidi, ſiniſter vero ſtupendæ magnitudinis, quam ex pondere illius ad ℔ iß. aſcendente æſtimare licet, figuram pilei nautis Belgarum uſualis non inepte referens, ob pelvim mirum in modum ab urina viſcida concluſa, cui per ureterem obſtractum exitus denegabatur, expanſam, ipſam renis ſubſtantiam ſero urinoſo diſtentam. Ad eundem renem præter vaſa emulgentia ſolita 2. rami arterioſi, & 3. venoſi abire deprehendebantur, carnoſa vero renis ſubſtantia penitus erat abſumpta, ejusque ſaltem membranæ urina adeo diſtentæ inſolitam

ſolitam

ſolitam iſtam figuram efformabant, magnitudo vero renis in longitudine ſpithamam, in latitudine vero 8. pollices æquabat.

(*Hafnia Auguſtam Vind. d.* 15. *Apr. A.* 1719. *miſſæ.*)

# *OBSERVATIO LXV.*

## Dn. D. Michaëlis Bernardi Valentini.

## *Cultrivora Harrburgenſis.*

Cultrivoris hactenus famoſis addo jam *Cultrivoram Harrburgenſem*, de qua literis, nonis Januarii præſentis anni 1719. Harrburgo ad me datis, ſeqq. retulit Dn. J. W. Alruz Med. D. & Medicus Provincialis:

P. P.

OB ſingularem præſentis caſus raritatem Excell. Tuæ brevibus atque ovo ordiens notum facio, quod 21. Decem. anni proximè præteriti ancilla quædam, 27. circiter annorum (quæ ſervitium, quod in Francop, pago ad Elbam ſito, per aliquot conſequentes annos præſtiterat deſeruiſſe dicitur) in horreo ſive ovili extra pagum, cui nomen Wolmſtorf eſt, à ruſtico atque horrei proprietario Gerhardo Hanſchild fortuitò reperta fuerit, quam non ſine correctione & inhibitione, ne poſthac illuc rediret, interrogat, cujàs eſſet? Illa nunc hæc nunc illa prætendens locumque, unde venerat altum celans ſe minimè eò redituram promittit & diſcedit. Septimo verò abhinc die in eodem horreo, verum mortua, invenitur. Re igitur ad Præfecturam delata, ego ad cadaver anatomicè ſecandum competenter requiror, ut mortis cauſa clarè innoteſceret. Seco igitur & tyronibus præſentibus cuncta demonſtrans atque ad ſtomachum deveniens nigrum quid ex eo prominere cerno, & ecce! cultri apicem apprehendo atq; in conſpectu plurimorum adſtantium paulatim extraho, omni-

busque

busque demonſtro, cujus hæc accuratiſſima eſt figura : a.a.a.a. manubrium inſtar cornu nigricantis conſpicuum. b.b.b.b. Lamina à ſucco gaſtrico ſive, juxta alios, ventriculi fermento quodammodo arroſa & nigricans.

Cum itaque ancilla modò dicta locum habitationis præviæ, ut & patriam ſtudio celarit, &, quod maximum eſt, foris, in corpore externo, nullum omninò vel perpeſſæ, vel peractæ violentiæ ſignum obſervari potuerit : hinc minimè dubitandum, quin voluntariè & data opera cultrum deglutiendo ſe enecare voluerit. Hactenus *Dn. Alruzius*.

Vid. Tab. III.

(*Giſsâ Auguſtam Vind. d. 18. April. A.* 1719. *miſſa.*)

# OBSERVATIO LXVI.

## Dn. D. Michaelis Erneſti Ettmülleri.

## *Cucurbitæ eſus noxius.*

FOEmina ſeptuagenaria, Matthefii, ſartoris vidua, quæ rheumaticis affectibus ultra annum expoſita, de ventriculi debilitate, motus impotentia, viriumque imbecillitate hactenus diu conqueſta fuerat, die 28. Octobris 1718. poſt eſum pulmenti ex cucurbitis parati, potumque cereviſiæ ſecundariæ frigidæ acidulæque, utpote quæ per duos jam dies in vaſe ſteterat, deſuper hauſtum, vomitus aliquot atque ſeceſſus paſſa, nocte inſequente moritur. Cujus repentinæ mortis fama per urbem percrebeſcente, in veneni propinati ſuſpicionem cadit defunctæ ex ſorore nepos, quæ ferculum hoc paraverat, eamque augebat virginis cujusdam morbus inopinatus, quæ pulmenti iſtius portionem ſimul comederat. Juſſu igitur magiſtratus oppidani, quoniam Magnif. Bohnius, Phyſicus ordinarius, νῦν ἐν ἁγίοις, lecto tum ob morbum affixus, muneri huic exequendo minus par erat, ego ad cadaveris ſectionem me accingo,

accingo, quod nullo modo tumidum, cutem in dorſo extravaſato ſanguine pictam monſtrabat. Aperto thorace atque abdomine œſophagum ſine labe, ventriculum vero liquamine fuſco ad libram dimidiam repletum, & interne in fundo duabus oblongis maculis ſphacelatis ſignatum reperio, pulveris autem, pro veneni reliquiis habendi, nihil conſpicere potui; inteſtino duodeno reliquisque viſceribus omnibus ſalvis exiſtentibus. Virgo interim illa, modo commemorata, febre intermittente laborare dicebatur, à qua mox convaluit.

## SCHOLIUM.

IN ætiologiam hujus mortis non eſt, cur quis anxie inquirat, qui ea, quæ in *Miſcellaneorum noſtrorum Dec.II. A.*1. *Obſ.* 139. ejusque adjecto ſcholio habentur, bene perſpexerit. Quibus addo, quod *Jul AlexandrinusSalubr.L.IX. c.9.* recenſet his verbis: *Periclitantem meminimus quendam ex ejusmodi edulio cucurbitæ elixæ, emollitæque primum, tum folioſa* ςαίλος, *quam paſten vulgo dicimus, membrana involutæ ac ſub teſta coctæ, ſed ærea, ut tortas ſolent, quas vocant; cita usque adeo inde alvo, tantaque vomendi vehementia, ut convelli videretur, multisque opus habuerimus medicamentis, quo remitteretur affectus, ſive id unius cucurbitæ corruptela, ſive abſcedens æruginis aliquid ex teſta fecerat, non antea ad uſum ſatis emundata.* Propter humidam ſcilicet ac frigidam cumprimis facultatem male audit cucurbita, quapropter Chryſippus Medicus eas in cibis damnabat. Ab aliis vero ſtomacho gratisſimæ judicantur, bilioſo forſan temperamento præditis, pituitoſis enim magis nocebit. Quoniam autem ad illam alimentorum vel medicamentorum claſſem ſpectant, quæ ἄποια dicuntur, hinc facile aliorum, quibuscum miſcetur, aſſumit qualitates: hinc nullo non tempore variis condituris apparabatur, & corrigebatur. Veteres cum ſinapi, aceto, vel cum ſalſamentis eas manducabant, vel cum cydoniis miſce-

bant. *Galenus de Aliment. Facult. Lib. 2. cap. 3.* cum origano corrigere jubet. Recentiores ſaccharo condire norunt. In Saxonia inferiori aliisque locis pulmenta ex pulpa cum ovis, aqua roſarum & cinamomo præparant. Sequens modus noſtris mulierculis admodum arridet, quo etiam pulmentum in Obſervatione allegatum, paratum erat: ſcilicet cucurbitæ pulpam rejecto cortice cum ſeminibus in fruſta diſcindunt, & in aqua ſimplici ad mollitiem coquunt, qua effuſa, quod reliquum eſt, denuo, facta primum valida expreſſione, in lacte coquunt, atque pipere bene condiunt.

# OBSERVATIO LXVII.

## Dn. D. Georgii Friderici Franci de Frankenau.

## *Eunuchum ſe faciens mercator, feliciter tamen ſanatus.*

VErendorum haud levem apud Gentiles fuiſſe olim exiſtimationem atque venerationem apud *Tertullianum* ac *Diod. Siculum* legimus; & majorem longe quidem, quam apud illos hodie offendimus, qui cœco religionis vel ſingularis caſtimoniæ zelo ac impetu obumbrati, Origenis, ut dicitur, ſectatores in hoc eſſe malunt, partesque illas, quibus ſe viros præſtare debuiſſent, nefario ac deſperando auſu, infelici quippe ſectione auferre ſtudent, cujus ſimile inauditum apud nos hactenus exemplum ſtupet tota civitas: Nimirum egerat apud nos vitam ſolitariam, lectioni ſacrarum literarum plus nimio indulgens, Vir Juvenis, quinquagenario jam proximus, *Matthias Georgius Dr - -* per octiduum febre laborans continua, & incondita interdum proferens; hic inter octavam & nonam horam matutinam, ſibi ſoli relictus, præmeditato animo totam ſibi virilitatem reſecando in orbem novacula lecto inſidens pubetenus ademerat, & tanquam rem nauci homineque ſacro indignam in extremum hypocauſti angulum rejiciens impavidus.

Neque

Neque hoc satis videbatur crudelitati ipsius, quin è lecto surgens, ut mortem eò citius accelerarret, cultellum acutissimum, pennis aptandis idoneum, in sinistrum quoque pectoris latus, quintam inter & sextam costam circiter adegerat, unde tam largum sanguinis subsecutum est stillicidium, ut animam cum cruore pene efflâsset humi prostratus. Audito hoc tempestive in ædibus rumore, statim ad chirurgum in vicinia habitantem, hujus urbis juratum & satis expertum, nomine *Henricum Schalck*, ab hospite mittitur nuntium, ut, si qua salutis adhuc superesset spes, omnem adhiberet operam, ac semianimis, si fieri posset, ex faucibus orci eriperetur, qui extemplo etiam advenit, gravissimoque vulneri gemino, admotis prius sanguinem sistentibus, debita deligatione validisque suturis ac fomentis necessariis ita prospexit, immo tandem persanavit 16. dierum spatio, ut, quod pectori inflixerat vulnus, omnino fuerit consolidatum, ut & alterum in inguine satis feliciter post 6. septimanarum decursum ad cicatricem fere perduxit , ut nullo amplius subligaculo aut deligatione opus haberet, nullamque plane urinæ incontinentiam inde persentisceret.

In principio statim deligationis, cannula in abscissam satisque patulam emittebatur urethram fenestrata atque ansulata, qualem pro hydropicorum aquis educendis adhibemus, subere tamen clausa emplastrisque superimpositis, quò liber tam lotio quàm alvinis pateret fecibus exitus, nec ipsa unquam deligatio turbaretur, & sanatio vulneris largissimi eò melius succederet. Octiduo post deligationem primam delirans noctu, ac de salute ferme desperans totum deligationis solvit apparatum, enormi novæ sanguinis profusioni sic viam sternens; nunc autem per Dei gratiam ad optimum sanitatis rediit statum, corpore valentior ac pinguior, ita ut commode obambulare, sedere, cubare, omnesque reliquas actiones ex voto peragete valeat. Exceptum sic in rei memoriam colem omnem cum Darto, spiritui vini immisit chirurgus modo

dictus ut à curiosis spectari porro posset. Hujus rei in fidem elegantissima hisce diebus in lucem prodiit elegia Illustris Dn. *Frider. Rostgaard* Consil. Status ac Justit. Regii apud nos, graphice satis Eunuchi istius describens fata, quam curiositatis gratia quoque heic subnecto.

## CASTRATOR.

### *Elegia.*

ELoquar, an sileam? non jam fera nomina, Monstra,
 Et diros partus Africa sola dabit.
Proh dolor! in patria nuper tellure repertus,
 Stultitia antiquos quem superasse vides.
Qui propria, horrendum dictu, miserabile visu,
 Inguina præcidit non titubante manu.
Nec fato insontis Monstrum hoc satiatur Amici,
 Sed, ne quis referat, Testis uterque cadit.
Utque miser pereat, ferro præcordia tentat,
 Ne solita possit spiritus ire via.
Frustra est, & vere non exorabile Fatum;
 Nam votis petitur nec Libitina venit.
Accurrunt famulæ, moribundus tollitur æger,
 Et subito Medici quæritur auxilium;
Nec lubet ulterius palloris fingere caussam
 Vesteque celatum conticuisse malum;
Ecce, ait, impurum obscuro fornacis in antro,
 Quod secui, membrum, quo caruisse juvat.
Vanus ero memorans, quantus pudor ocyus omnes
 Ad lectum stantes occupat, atque metus;
Atque verecundæ qualis rubor hospitis ora
 Tinxerat, & tacito quam pede carpsit iter.
Ante alios fertur multum indignata ministra,
 Furtivo ut vultu sceptra trisulca videt.
Nce mora, protrahitur multo incestata cruore
 Corporis indigni portio justa satis;

Et

Et datur artifici, qui rite parare liquores
Novit, ut in vitro Virga virêre queat.
Sed, malesane, novo cur gestis tramite Campos
Inferri & mutilo corpore in Elysios?
Si stat fixa animo duræ sententia mortis;
Cur hostes Patriæ non petis atque fugas?
Intrepidum cur non objectans pectus & igni
Et ferro hostili funere tectus obis?
Quâ tua mens agitur rabie, CASTRATOR inepte,
Siccine formosus, siccine castus eris?
Quale manus monstrum truncaro Pollice, qualis
Est facies Naso non veneranda suo;
Quale ratis monstrum, quæ Clavum perdidit omnem;
Indicis atque expers Tabula Solis erit;
Quale etiam currus, quem Temo haud dirigit ullus;
Et privata sua nautica Pyxis Acu.
Tale tuus misero fœdatus vulnere venter,
Impia & immerito quod tua dextra dedit.
Vidimus, immani sub tempestate laborans
Abscindat Malum quam trepidante manu;
Sed vitæ haud aliter, navique, & quicquid in illa,
Consulitur; lucri sunt ea damna loco.
Perpetua urbanis adamatur Buxus in hortis,
Cujus continua forfice membra cadunt;
Sed novus hinc horto cultus, nova gratia buxo,
Vicinisque locis conciliatur honor.
Dum tuus haud cultum quærit nec culter honorem,
Qui resecat pulchri corporis omne decus.
Nempe nec in propriam carnem Judæus apella
Sic furit, exigua qui cute mancus abit.
Barbara Pyramidum gens accola inutile tollit
Tegmen, ut ad Venerem convenienter eat.
Dum castrat vites, non lædit Vinitor uvas,
Namque ingens pretium succus amatus habet,

Sic tondere pecus, ſed non deglubere Paſtor
Debet, & agnellos usque fovere ſinu.
Lex erat antiquis, Avibus quæ parcit, & Ova
Donat vel Pullos, Tu ſed utrumque necas.
Forte Bilancis erat pondus nimium grave; cur non
Inſonti Libræ gratia facta tuæ?
Actum eſt de Vobis, Viduæ, innuptæque Puellæ,
Debita ſi Vobis perdere Dona licet.
Actum eſt de Patria, nec ad arva ſerenda juventus,
Nec qui vela regat, navita ſufficiet;
Nec qui Sacra litent Cœlo, aut defendere Caſtra,
Si CASTRATORUM major erit numerus.
Forſitan Hic aliquot filum protendet in annos,
Si vires Artem concomitare velint.
Defuncto tamen hoc, quoniam brevitatis amator
Vivus erat, Carmen perbreve Muſa dabit:

## EPITAPHIUM CASTRATORIS.

CASTRATOR heic Cœlebs ineptus eſt ſitus,
Cui Virgines & Fœmineus totus chorus
Negaverant Jus Matrimonii & Fidem,
Quod Patrimonii nihil ſervaverat.

M. DCC. XIX.

# *OBSERVATIO LXVIII.*

## Dn. D. Wilhelmi Hulderici Waldſchmiedii.

## *Vulnus veſicam utrinq; penetrans intra breve temporis ſpatium feliciter ſanatum.*

ANno hujus ſeculi decimo tertio, die 6. Junii menſis, punctim vulneratur Theologiæ Studioſus, ætatis annorum 22. circa pubis regionem in latere ſiniſtro ad radicem penis, enſe

in

in parte ſuperiore & ſiniſtra natium, latitudine trium digitorum ab oſſe ſacro exeunte. Ex utroque vulnere, tam antico quam poſtico, præter ſanguinem urina in ſat magna copia profluebat, corpus totum frigidum erat, membraque tremoribus convulſionum prodromis agitabantur, ita ut in ancipiti omnia, morsque præ foribus eſſe videretur. Verum, quamvis Hippocrates veſicæ vulnera lethalia pronunciet, proſtant tamen hinc inde exempla in contrarium, atque hic ipſe ſtudioſus præter omnium ſpem integræ ſanitati reſtitutus, die 24. à læſione, Junii ſc. trigeſimo, ad ædes ſacras properabat, DEO pro clementiſſimo auxilio gratias acturus; ita læſio hæcce, utut periculoſiſſima ab initio apparuerit, per DEI imprimis benedictionem; uſu & applicatione remediorum externorum atque internorum, præcipue decoctorum vulnerariorum, diætæ regulis ſtrictiſſime obſervatis, ſitu corporis convenienti, breviſſimo temporis ſpatio perſanata eſt.

# *OBSERVATIO LXIX.*

## Dn. D. Wilhelmi Hulderici Waldſchmiedii.

## *Vulnus veſicæ propter peculiares circumſtantias lethale.*

UT vero non omnibus adire licet Corinthum, quod in proverbio eſt: ita non omnibus, quibus veſica læditur, licet eſſe tam beatis, ſive diſtinctionem inter collum & fundum ejus ſauciatum admittere velimus, ſive minus. Crediderim enim ego, non deeſſe nobis exempla ſauciati eius fundi, cum eventu ſecundo, & quis ex horum vulnerum claſſe eximere velit illud, cujus in præcedente obſervatione facta fuit mentio? Certe ſitus vulneris, præſertim poſtici, hoc ſatis evincere videtur. Perículoſa nihilominus ſunt, & lethalia utplurimum hujus generis vulnera. Civis hujus loci, annorum 38. læditur punctim 10. Aprilis anni præteriti, moritur Maji undecimo,

poſt

post septimanas quatuor, & quod excurrit. In lectione cadaveris in abdominis parte inferiore dextra, supra pubis os, digiti latitudine à linea alba conspiciebatur vulnus, unciarum 2. cum ½. per integumenta versus inferiora & interna penetrans; ensisque illæsis intestinis oblique dextram & deorsum versus processerat. ipsamque vesicam, fundumque ejus, in parte dextra uncia 1. cum ½. sub insertione ureteris, vulnere, cui digitus commode immitti poterat, in ipsam ejus cavitatem perforaverat. Vulnus autem hoc, non obstantibus quicquam exemplis in contrarium, propter partis læsæ, vulneris situs, profunditatis & magnitudinis diversitatem lethale renunciavimus.

# *OBSERVATIO LXX.*

## Dn. D. Wilhelmi Hulderici Waldschmiedii.

## *Vulnus abdominis utrinque penetrans intra decem dies persanatum.*

ANno 1714. die 4. Maji, dum officialis quidam evaginatis gladiis ludit cum puero nobili, annorum septem filio strenui cujusdam militiæ Ducis, nescio quo infortunio hic punctim læditur, penetrante ense ancipiti sub costa spuria ultima lateris dextri, egrediunte mucrone gladii acutissimi in tergo, ad marginem ossis ilii ejusdem lateris, nulla subsequente aut hæmorrhagia graviore, aut ullo alio, vel leviore etiam symptomate. Vulnera deligantur cum balsamo quodam vitæ, ex vini spiritu rectificatissimo, cum sale tartari, sapone, & terebinthina, chirurgo castrensi Monzingero, viro, si quis alius, in arte sua exercitatissimo, sine turundis; interne datur decoctum vulnerarium. Die Maji 14. utrumque vulnus fuit consolidatum, & puer cum sanitate in gratiam rediit.

# OBSERVATIO LXXI.

## Dn. D. Wilhelmi Hulderici Waldſchmiedii.

## *Pulmonum vulnera brevi perſanata.*

ILla pulmonum vulnera, quæ cum læſione vaſorum majorum juncta ſunt, lethalia eſſe, reliqua facile ſæpe ſanari, evidentiſſimum eſt, multisque exemplis demonſtratum. Studioſus Theologiæ ante plures annos in duello punctim vulneratur ſub mamilla dextra, penetrante vulnere in thoracis cavitatem: ſanguis calidus & ſpumoſus eo ipſo momento cum tuſſi excernitur, infallibili læſorum pulmonum teſtimonio, nihilominus intra paucas ſeptimanas reſtitutus eſt. Similis contigit nundinis ſolennibus anni currentis: menſis ſc. Februarii die primo punctim læditur Judæus Pragenſis David Samuel, enſe ſub ſcapula ſiniſtra prope dorſi ſpinam in cavitatem penetrante, cum gravi hæmorrhagia plagæ, & ſputo ſanguinis; & quamvis res ſauciati in ancipit ſtare videbantur, ille tamen trium ſeptimanarum ſpatio perſanatus eſt.

# OBSERVATIO LXXII.

## Dn. D. Antonii Valliſnerii.

## *Penis cum meatu ad radicem hiante.*

INviſimus unà cum præſtantiſſimo Collega noſtro D. Morgagno ruſticum annorum decem & octo, qui juvenem quandam in uxorem ducere avet animo, quam ipſe ſe prægnantem reliquiſſe profitetur. Opportunè venerat in dubium, an id verum foret, cum generationis organum imperfectum, ac malè conformatum habeat: quare à ſuo Parocho ruſticus ad hanc noſtram Epiſcopalem aulam miſſus. Inſpecto membro invenimus ipſum ad inferiora inſculpto meatu malè conformatum, id eſt, ad radicem penis foramen hærere figuræ oblongæ, & adinſtar vulvæ duobus parvis labiis con-

cludi: at quod magis mirum observavimus, dimidiam urethræ partem superiora tenentem à radicibus ad verticem glandis apertam patere, non secus, ac si reliqua dimidia pars inferior dempta esset, in superioribus dimidio canali juxta membri longitudinem inhærente. Canalis hic dimidia sui parte glandularum oscula ab ipso D. Morgagno repertarum admodum patula, & conspicua præsefert, adeoque nemini dubium, quin hæc sit notata jam superior pars urethræ, inferiore tantùm deficiente. Per dimidium igitur canalem hunc urina percurrebat magno cum impetu ad summa propulsa, ferè tanquam canalis foret inferiùs clausus, (rustico è composito mingere jusso) urinaque ad murum perbellè trudebatur. Hinc unanimes rati, eadem, ac fortasse meliori ratione semen & ipsum ad membri extremitatem superiorem posse irruere eodem dimidio canali deducente, itaque vaginam ingressum fœminam prægnantem reddere. Haud vero dissimile quoque visum est, in erectione membri tumefactis limbis ad latera dimidiæ partis canalis segmentum circuli semicirculo majus efformari per totam virgæ longitudinem excurrens, quo facilius seminis jactus usque ad glandis verticem provehatur.

Non multum temporis spatio præterito compertum est, verè mulierem utero gerere, initisque aliis ad rei opportunitatem periculis, variisque animadversionibus adhibitis, tandem viro in matrimonium dimissa est. Ut clariùs rara penis hujus conformatio pateat, hanc graphicè delineatam absque modestiæ jactura ante oculos ponimus.

Vid. Tab. II. Fig. I.


a. a. Glans penis in parte inferiori cum urethra præternaturaliter aperta à vertice usque ad ejusdem radicem.

b. b. b. b. Dictæ urethræ pars interior, ac superior: dimidia nempe pars ejusdem, in quâ glandularum oscula manifestè patent.


c. c. Foramen, sive hiatus urethræ ad radicem penis vulvam æmu-

I.


ad C. IX. Obs. LXXII.




ad C. IX. Obs. LXXIV.



ad C. IX. Obs. LXXII.




NATURAL HISTORY

æmulans, per quem urina, & semen, dato impetu, usque ad summitatem penis per dimidium canalem exploduntur.

d.d. Scrotum in duas partes, sive bursas divisum, quarum singula testiculum solito minorem includit.

## *Penis prædicto non multum absimilis Ravennæ fuit observatus in quodam pro Hermaphrodito habito, ita tamen, ut primò virilis magis, quam muliebris, secundò muliebris magis, quàm virilis naturæ particeps crederetur, quem casum hisce verbis D. Honorius Gallettus ad me perscripsit.*

JUvenis Ravennates morabatur domi Viri nobilis, quem usque modo fœminam existimarunt, hicque annos nactus, quibus barba mento adnascitur, visus est familiaribus vir esse, sed hermaphroditi formam referens, maris tamen potius, quam fœminæ naturam gerens: hinc viriles vestes induere jussus est, à fœminis ablegatus. Accersitus ego ipsum inspectum mulierem magis, quam virum credidi, quod virile, ut putatut, membrum non esset perforatum, & ad radicem illius parva quædam rima appareret, qua urina egreditur, quæ, ut reor, exiguæ vulvæ adinstar, in uterum viam aperit. Verum quidem est, utrinque parvam quasi bursam pendere, quarum singula parvus testis concludi videatur, sed generationi inidoneos eos opinor, aut si mavis, aut ajunt, naturæ ludum. Si non intenditur membrum, vir primo aspectu apparet, quòd illud rimam delapsum cooperiat: sed erecto pene, hiatus quidam manifestè conspicitur, qui uteri collum æmulatur, ideoque muliebris magis, quam virilis structuræ naturam sapere judicavi. Tibi, Vir Illustrissime, schema mitto, ut plenius in hanc rem tuum possis ferre judicium: exinde verò sapientissimam, gravissimamque sententiam tuam expectabo.

Vid. Tab. II. Fig. II.

a. Foramen præternaturaliter clausum.
b. Glans.
c. Præputium.
d. d. Testes inclusi.
e. e. Scrotum divisum.
f. Meatus urinarius.
g. Suppositum collum uteri.

CUi Cl. Vallisnerius respondit: Bene re pensitata, se minime, quem alii putaverant, hermaphroditum credere, aut ad muliebrem magis, quam ad virilem indolem accedentem, sed vere marem illum se reputare, qui partibus generationi dicatis non naturaliter conformatis constaret, eodem prorsus modo, quo supra notatum una cum Cl. Morgagno Patavii viderat. Primam illam perexiguam, quæ ad penis radicem hiat, esse verè urethræ virili insculptam, sicuti in superiori Observatione descripsit, æmulantem primo intuitu vulvam, quæ possit facili negotio minus peritos fallere. Duobus verò sacculis verè duos parvos testes contineri, qui non magnitudine, sed viribus æstimantur, nec nisi præter rationem uterum, vaginamque mente confingi. Hinc ex accuratâ Cl. Vallisnerii Observatione elicias, non tam præceps circa hermaphroditos ferendum judicium, sed illos, aut veros masculos, aut veras fœminas plerumque esse judicandos secundum partes illas monstrosas, quæ leviter pensitatæ informis figuræ apparent, ac facili ratione in errores inducunt.

## *OBSERVATIO LXXIII.*

### Dn. D. Antonii Vallisnerii.

### *Partus vesicalis.*

NObilis mulier Cesenatensis, temperamenti calidi, & sicci, habitus

habitus gracilis, ac ab ineunte ætate fere ſemper ſanitatis lubricæ, anno ætatis ſuæ 30. viro nupta puellam peperit, quæ paulò poſt obiit. Sequenti anno rurſus ſibi concepiſſe viſa eſt: Suppreſſa enim erant monſtrua, à vino abhorrebat, animi deliquia patiebatur, venter tumebat. A quinto conceptionis menſe larga ab utero hæmorrhagia ſequuta eſt, quæ qualibet hebdomada modò major, modò minor patientem excruciabat. Septimo menſe poſt uberrimum ſanguinis fluxum, ac repetitos animi defectus, incredibilem veſicularum acervum peperit, ſuis filamentis, ac canaliculis connexarum, quæ libras quatuor ponderabant. Ovario gallinarum perſimiles erant, aliæ granum ciceris æquantes, aliæ viciæ, fabæ aliæ, quarum aliæ rotundæ, majores verò ovalis erant figuræ, omnesque lympha quadam viſcidula turgidæ. Coctis denſabatur quidem liquor, & aliquantulum albeſcebat, ſed non indurabatur, ut ovorum albumen, qui liquor lente obſervatus reticularem plexum, cum microſcopio verò ad radios ſolares expoſitus ramuſculorum adinvicem implicatorum maſſulam ferè argenteam aureis bracteolis intertextam repræſentabat. Interea uterino ſanguine per quindecim dies adhuc fluente mulier ad priſtinam ſanitatem reſtituta eſt.

Vid. Tab. III.


(*Ex communicatione D. Franciſci Veretti.*)

## SCHOLIUM.

PArtus conſimilis veſicularis, diligentiori tamen exarati calamo, hiſtoriam olim dedimus ex præcitato D. Antonio Valliſnerio, Decad. II. An. IX. Obſ. 38. p. 75. quæ poſtea eximiè cum Animadverſionibus ejusdem Auctoris ornata, atque illuſtrata apparuit in ſuo libro idiomate Italico conſcripto, cui Titulus: *Raccolta di vari Trattati del Sig. Antonio Valliſneri &c. accreſciuti con Annotazioni, e Giunte, e con*



TAB. III. ad Cent. IX. Obs. LXXIII.



ad C. IX. Obs. LXV.




*figure in rame. In Venezia* 1715. *appresso Gio. Gabbriello Hertz, pag.* 83. *e seg.* Ibi enim luculentissimè de hoc raro naturæ phænomeno tractat, multas historias tùm veteres, tùm novas accumulat, adinuicemque comparat, ut abstrusam ejus causam venetur, ad cujus sedulam lectionem curiosos remittimus. Addimus solùm novas Observationes in alio vesiculari partu nuperrimè factas à prædicto D. Vallisnerio, & præclarissimo nostro Præsidi D. Lucæ Schröckio fideliter communicatas.

Primo animadvertit amplam, crassamque membranam, ex cujus parte superiori acervus vesicularum diversæ magnitudinis, veluti uvarum botrus, ab uno trunco prodibat, cujus in parte postica ex adverso basis ejusdem cavernula quædam apparebat, quæ tamen non intra truncum hiabat.

2. Rami, quibus appendebantur vesiculæ multis in locis cavi manifestè apparebant, qui intruso per siphonem aëre tumebant, inde aër in laterales minores ramos se insinuabat, deinde in alios minores, & tandem minimos, donec ad extremas vesiculas perveniret, intra quas tamen nunquam penetrare potuit.

3. Notandum tamen est, prædictam vesicularum, atque canalium congeriem per multos dies intra spiritum vini immersam latuisse, ultimasque propagines admodum exiles redditas, ex quo fortasse minimæ cavitates ex membranarum crispatura obstructæ remanserint.

4. Facto foramine in illis vesiculis, quæ ultimæ ramusculis appendebantur, immissoque per illud aëre, tumebant, sed aër ab earum cavitate nunquam retrogradus in socios ramusculos corrivabat, quod ita non evenit in nonnullis earum, quæ in canalium tractu extabant, intra quas aër intrusus usque ad extremitatem ramusculi perveniebat.

5. Intra majores vesiculas præter limpidissimam lympham materia pultacea flaviuscula continebatur.

6. Ne-

6. Neque in ramusculis, neque in vesiculis sanguinea vasa apparuerunt.

Ex quibus omnibus facile colligere est, rem adeò obscuram indies magis à Cl. nostro Vallisnerio illustrari, ut tandem vesicularis hujusmodi partus indoles patescat.

# *OBSERVATIO LXXIV.*

## Dn. D. Antonii Vallisnerii.

## *Magnitudo, & quantitas calculorum enormis, & quibus remediis triturati, & expulsi.*

ADmodum Reverendus Clemens Parilenus, Monachus Cassinensis ann. 21. temperamenti biliosi, habitus gracilis, & corpore parvus, tota hyeme tali ventris stypticitate laboravit, ut quandoque ad 12. ad 15, & interdum etiam ad 20. dies fæces non exoneraret, cui tamen, post varia præscripta remedia, adventante vere alvus obediens reddita est. Dum in gratiam sanitatis se rediisse existimabat, urinæ difficultas apparuit, qua, prodeunte calculo, liber evasit, sed qualibet hebdomada dolor incursabat gravior, majoris molis indies exeunte calculo. Eò tandem devenit, ut quarta qualibet die, duorum mensium spatio, acerbioribus semper attritus doloribus, calculum indies mole majorem ejiceret, quorum ultimus grana octuaginta ponderabat. Horum figuræ diversæ, ferè semper tamen angulosæ, ut in icone apparet. Sed id, quod mirum mihi videtur, quando jam sanus credebatur, qualibet die per tres hebdomadas tantam fragmentorum lapidum copiam excrevit, ut singulis diebus unciæ unius, ac semis pondus æquaret, ita ut unà cum calculis jam excretis tota petrificata materies sex libras & ultra ponderaret. Hac tandem cessata, surfuraceas urinas mingebat, quibus & ipsis paulatim imminutis ad pristinum sanitatis statum revocatus est.

Reme-

Remedia in toto morbi progressu præscripta fuerunt diversa, inter quæ aqua è baccis viridibus sambuci, ac è persicis immaturis unà cum amgydalis suis contusis destillata primas tenuit, sed pauco cum fructu, quamvis aliàs in hujusmodi morbis efficacissimam observaverim. Jussi propterea, ut lapis Judaicus, lapis spongiæ, & Lyncis in puro, & rectificato spiritu salis dissolverentur, quos postea exsiccatos, & salinis moleculis saturatos per plures dies summa cum utilitate sumpsit, cum non amplius integros calculos, sed solùm eorum fragmenta, tandemque furfuraceam materiam mingeret, cui lapidescere datum amplius non fuit. Cogitaveram spiritum urinæ adeò ab Helmontio (Lib. de Lithiasi cap. 8. §. 23.) commendatum præparare, sed cum urgeret necessitas, & longa sit hæc præparatio, ideò ab hac abstinui. Dum in Anglia degebam, ligni Indici vires, quod vocatur *Gueapea*, ad expellendos calculos admiratus sum, sed in nostris Regionibus desideratur. Rasuram hujus ad ʒß. præscribunt, calculosque in renibus, ac lapides in vesica comminuere meritò deprædicant. Hoc inodorum, atque insipidum est, figuraque, venulis nempe, ac filamentis, ligno cupressino persimilis, quod & apud Indos in summa existimatione est. Præscribitur etiam ad excitandam in impotentibus venerem, & nisi cautè præscribatur, satyriasim ad duodecim, & etiam ad 15. horas perdurantem causat.

Vid. Tab. II.

*Ex communicatione Cl. D. Francisci Veretti.*

# OBSERVATIO LXXV.

## Dn. D. Antonii Vallisnerii.

## *De vulva duplicata.*

LIceat producere quæ de vulva duplicata Nob. Dn. Hyacinthus

cinthus Cestonus ad me scripsit: D. Anel Chirurgus Gallus celeberrimus novum quid nudiustertius nobis ostendit, quod quidem fortasse nec amplius videris, nec amplius audiveris. Id erat pudendum mulieris annos natæ triginta duplicatum, quorum unum ad naturalem situm positum erat, & huic transversalis digiti interjecto spatio superincumbebat rima alia, quæ ad vaginam eandem rimæ inferioris hiabat. Ipseque professus mulierem ultrò fassam per utramque rimam virum adjunxisse. Præclarum id recens observatum adhuc vini spiritu inclusum asservat, ab ipsomet jam è dissecto cadavere extractum Romæ in Xenodochio, ubi mulier vita erat defuncta: dixitque suis oculis idem vidisse, adhuc illa dum viveret, quæ pretio pudendum ostendebat.

RESpondit D. Cestono Cl. Vallisnerius, rem quidem esse miram, sed non adeò raram, quin & alia non reperiantur exempla. D. enim Ambrosius Stegmannus (uti legere est in Ephem. German. Decur. 3. An. 7. Obs. 3.) & ipse vulvæ duplicatæ mentionem facit, postquam Clitoridem perforatam creditam fuisse sibi relatum acceperat. Sed cum pudenda ipse inspexisset hujusce, ut ait, impudicæ Corinnæ, observavit tum clitoridem, tum meatum urinarium assueto situ adhærere: „Ast (en illius verba) clitoris monstrosa sua excrescen-
„tia, & magnitudine non solum in utrisque lateribus crassio-
„res efficiebat nymphas, sed & longitudine, & crassitie sua
„ovum columbinum fermè superante meatum urinarium te-
„gebat. Secundo loco meatus urinarii, in statu naturali
„crassitiem aliàs calami scriptorii obtinentis, fissura deprehen-
„debatur, quæ latitudine duos, & longitudine quatuor
„transversos digitos præter propter æquabat. In hujus fis-
„suræ orificio meatus urinarius naturali crassitie præditus
„conspiciebatur, qui jam ob nimiam inflammationem tan-
„tum excitabat dolorem, ut lasciva hæc vix esset sua, nec
„ego interiorem hujus fissuræ substantiam (quæ tamen mem-

„ branacea, & fibris carneis transverſalibus intertexta mihi „ videbatur) ob exinde obortum tumorem ritè indagare „ poſſem. Sub hac fiſſura vera uteri vagina, loco, & parti- „ bus ſuis legitimis dotata deprehendebatur. Ex his erui- tur, haud tam raro id obvenire, quod in fœmina Romana contigit, primamque hiſtoriam lucem addere ſecundæ, hancque primæ. Si mulier vulva unica prædita inſatiabilis dicitur, quid de his mulierculis, duabus vulvis laſcivientibus, dicetur?

# *OBSERVATIO* LXXVI.

## Dn. D. Tobiæ Ferdinandi Pauli.

## *De Calculis veſicæ.*

TRibus ſectionibus Calculo renum & veſicæ demortuorum in urbe Patriâ intra unius anni ſpatium intereſſe licuit. Duo ex illis jam ſenes, dum adhuc in vivis eſſent, eadem patiebantur ſymptomata, dolores quippe gravativos & punctorios circa renes, difficiles ac ſæpe ſtillantes mictiones, nauſeas atque vomitus, immo ad lipothymiam usque ſæpe virium ſuppreſſiones. Doloribus paululum remittentibus, rurſus incedere, vehique, lotiumque per multas ſæpe horas retinere poterant. Tertius in numero horum ægrorum exquiſitiſſimis dies noctesque per ſemeſtre ſpatium afflictus cruciatibus, omnem ex immani perpetuaque nauſea, ciborum appetitum ad finem vitæ usque perdiderat, omnium ſtomachalium adhibitorum remediorum irrito effectu.

In duorum priorum ſubjectorum corporibus cultro anatomico ſubjectis veſica verſus fundum tres oblongo rotundos, planiformes, gryſei coloris lapillos æquali linea conjunctim poſitos in conſpectum dabat, quorum unusquisque pendebat ultra ℥iij; in rene vero ſiniſtro calculus oblongus pondere ℥ß erat reconditus.

Ter-

Tertium quod attinet corpus, in cavitate renum nonnulli oblongo-rotundi calculi pondere à ʒj ad ʒij, atque in folliculo bilis triginta & quinque lapillorum coloris ſubfuſci, ſuperficiei, figuræque triangularis, deliteſcebant.

Rationes autem, quod duo priores nephritici à grandioribus veſicæ calculis tam in vectatione, quam in greſſu parum ſenſerint impedimenti, ſunt; quod veſica circa fundum & ſitum calculorum quaſi fuerit ſulcata, & quilibet calculus verè in ſuo ſulco hærens nunquam verſus orificium ſecedere, urinæque fluorem impedire potuerit. Et quod tertius perpetua nauſea, & omnis appetitus proſtratione tam diu laboraverit, cauſam ex numeroſa lapillorum in veſicula bilis inventorum ſobole proveniſſe ſentio, quippe qui non modo orificium ventriculi inferius, ſed & inteſtinum duodenum moleſtè premendo & vellicando omnem ventriculi orexin proſtraverint.

(*Vratislavia Auguſtam Vind. d. 4. Maji A.* 1719. *miſſæ.*)

# *OBSERVATIO LXXVII.*

## Dn. D. Chriſtiani Michaëlis Adolphi.

## *Hydrophobia morbi cholerici pediſſequa.*

VIr 47. circiter annorum modico corporis habitu & ſucculentiori ſatis prædito ex nucibus rancidis (ut refert) cholericam paſſionem paſſus eſt, cum intolerabili ſitis cruciatu quam vix copioſiſſimis potulentis extinguere potuit, ſuperavit morbum debitis remediis exhibitis, ſed ex illo tempore menſibus fere tribus exactis omnia liquida, potum, imo & juſcula magnum in modum abhorret, adinſtar eorum qui ex morſu canis rabidi in rabiem deliriumque ſunt acti, indies marceſcit, fauces areſcunt & deglutitionem fere impediunt, abdomen contrahitur, alvus adſtringitur, vires decedunt,

dunt, maraſmo conſumitur, adeo ut ſalutem deſperent omnes, alias ſibi optime conſtat.

# OBSERVATIO LXXVIII.

## Dn. D. Chriſtiani Michaëlis Adolphi.

## *De venæ ſectione in podagricis doloribus.*

VArii proſtant præclari Autores, inter quos & Guido eſt Patinus, qui ſummum & unicum remedium doloris podagrici venæſectionem habent. Neque mihi ignotum eſt in Gallia Medicinæ Practicos frequentiſſime & iteratam quoque eandemque largiorem felici cum ſucceſſu adhibere. Noſtris vero in oris hunc in finem maxime ea eſt ſuſpecta atque exoſa. Neque ego auderem facile & periculum facere. Nuper de hac ipſa re cum Practico quodam famigeratiſſimo inter alios ſermones & imprimis de venæſectionis in doloribus alias immanibus uſu, ſerui diſſeruique, is ſibi propoſuit quod data occaſione ſi indicationes venæſectionem ſuadentes non deeſſent, experimentum vellet inſtituere. Inſtituit etiam elapſo aliquo temporis ſpatio commoda occaſione in viro quodam quinquagenario fere majori, dolorès hos pertinaciſſimos perpeſſo, optato dolorum lenimine ſineque ullis noxis, quas alias ex retroceſſione podagræ incurrere ſolent. Licet hoc verum ſit, nollem tamen facile Autor ſuaſorque eſſe ut omnes in omnibus temere imitarentur, cautelis & circumſpectione omnino hac in re opus eſt, digna tamen quæ ulterius debite obſervetur & ad majorem cognitionem inter nos perducatur.

(*Lipſiâ Auguſtam Vind. d. 12. Maji A. 1719. miſſæ.*)

OBSER-

# OBSERVATIO LXXIX.

## Dn. D. Joannis Adami Reimanni.

## *De Rhevmatiſmo coxendicis muliebri.*

QUamvis Rhevmatiſmus coxendicis ex Arthriticorum adfectuum proſapia ſit, iſchiadicique mali ſpecies, adeoque utrique ſexui communis, tamen cum in ſequiori ſexu, partim ob corporis ſeroſiorem ſpongioſioremque habitum, partim etiam ob geſtationis fœtus in utero contingentes labores, præ virili, ſingularem per abſceſſum ſcilicet, decernendi modum utplurimum obſervare ſoleat, ceu proprium quaſi fœminino ſexui morbum hunc conſideramus ejusque hiſtoriam interpoſito ſingulari caſu exhibebimus.

Fœmina obeſula, ſanguinea, ætatis annorum 36. frequentibus puerperiis ſatis tamen feliciter defuncta, ſub finem elapſi anni 1718. 14. nempe Decembr. iterato partu robuſti & obeſi filioli mater facta, poſtquam biduo ante partum dolores ſatis acerbos ſeu conatus partus experta eſſet, nec tamen his obſtantibus, ob negotia urgentia quiete frueretur, ſed potius celeri & violentiori greſſu uti, non ſine dolorum exacerbatione, coacta fuerit, lochiis mox à partu nullis fere procedentibus, dolores in coxarum dextra ſentit, tenſivo-gravativos, quos tamen violentiori partui adſcribens patienter fert & cum tempore ſublatum iri firmiter credit: verum cum præter ſpem his auctis pedis etiam lateralis debita extenſio imminueretur indies, hincque claudicare ægram cogeret, adpetitus inſuper penitus dejectus eſſet, æſtus vero nocturnus inprimis graviter corpus adficeret, cum ſiti & exareſcentia faucim multa, ſomno exiguo, aut utplurimum nullo, ſudationibusque ſub primum ſomni articulum largis, & vires attritas corporis multum enervantibus, muliercularum, uti fieri conſuevit, auxilia experiri decrevit, quo in inguine dextro prope coxam protuberantiam quandam ad tactum dolentem, als

ein Geschwär that es wehe/ observarent, unanimi consensu, uterum esse judicabant: utque hunc reducerent, multum sibi negotii, & ægræ simul, balneis, unctionibus, & emplastris faciebant, donec quadam vice ægra sub corporis conversione à coxa hæc devolvi quidpiam animadvertens, manuum suarum pressione, descensum promoveret, & mox tumorem hunc disparuisse una cum doloribus antea consuetis lætabunda testaretur. Lochia interim jam paulo ante fluere incœperunt, & adhuc rubicunda sanguinea fluunt, claudicatio etiam pedis dextri & vitiata extensio continuant, cum amarore oris, appetitu prostrato, siti, æstu, sudoribusque nocturnis, & corporis lenta consumptione, in inguine præterea venæ funiculorum instar, protuberant, copiosoque sanguine infarctas visu & tactu explorare licet: his in angustiis constituta, nostro consilio uti decrevit: atque 22. Januar. primum pillulas ex aloe violat. extr. fumar. cent. min. schacarill. præparatas sumit, ut uteri restagnantes forsan impuritates ob quas lochia immoderata fieri incipiunt, hecticaque febris imminet, educerentur iisdem: & revera facta alvi dejectione simul ex utero etiam fluentibus adhuc lochiis, sanguinis nigri grumosi & fœtidi portio excreta est, reiterataque dosi pillularum & usu Ess. millefolii lochia brevi substiterunt successive per se sublata quidem est etiam amarities oris illa urgens, sed perseverant exacerbationes caloris nocturnæ, cum sudoribus, & ardores inprimis in volis manuum plantisque pedum, quos antea etiam mox à principio morbi habuit, pes dexter totus usque ad extremos digitos torpet & rigidus est, ita ut ex minimo motu gravissime se torqueri sentiat ægra, ac si mille pungeretur aciculis, dolores in coxa umbilicum & inguem simul occupant, cum ardore lumborum, qui augetur decubitu corporis continuo supino, quem retractis cruribus toto morbi tempore observat, ad uterum in loco suo retinendum, perversionemque cohibendam: multa intra hoc temporis spatium adhibita fuere remedia pro doloribus tollendis aut saltem mitigandis sed

omnia

omnia frustra, donec 18. Februarii non jam coxas sed inguina & femur acerbissime dolerent & immota in lecto, per multos dies ob metum incrementi dolorum ex minima conversione corporis perstaret: Observata est tum temporis oblonga in inguine supra pubem aliquantum eminens prominentia, sed cum reflexo corpore retractisque cruribus continuo decumberet supina, non licuit præsentiam puris manu nobis explorare, nec assensum adstantium ullo modo consequi potuimus, qui uterum potius protuberantiam hanc si quæ est facere stulte defendebant: Interea sudores in facie resolutorii continui, refrigerationes extremorum, lipothymiæ frequentes, alvique dejectiones fœtidissimæ, vitello ovi colore similes, liquidæ, cum magna virium dejectione urgent, æstus nocturni inprimis graves & sudores fœtidi cum malarum rubore linguæque squallore & ad fissuram usque aucta exsiccatione adsunt, & præterea pes sinister, sanus hactenus, dolore contusorio, **als wenn alles zerschlagen würde**/ dolet, osque coxygis cui incumbit molesto itidem dolore ad decubitus mutationem ipsam cogit, quam cum 26. Februar. suscipere cogeretur, neque enim prius induci ad id poterat, deprehensum est intra commissuram natium supra lumborum vertebras, vel ossis sacri potius, prope os coxygis ulcusculum ad os ipsum contingens, cum modico pure albo, ob decubitum continuum putabant adstantes hoc enatum esse, **sie hätte sich auffgelegen**/ ego vero latentis puris certissimum inde me consequutum esse indicium asseverabam: Ex mutato decubitu in coxam adfectam, nec enim sinistro ceu sano lateri ullo modo incumbere potuit, acutos dolores misere quærulabatur, cumque recurvo & nunc contractoque corpore & cruribus decumberet nec explorare prominentiam inguinalem nec cataplasmata admovere cum sibi molesta essent concessit, pes dexter circa malleolos œdematosus fit, & 2. Martii totus œdemate tumet, imo 4. sinister quoque simili tumore adficitur & successive paucos post dies æqualiter totus œdematosus fit: Cum his

sympro-

ſymptomatibus continuisque in facie ſudoribus lipothymicis, & virium magno defectu invaleſcente ad finem menſis hujus pervenit, cumque à 26. Febr. hucusque coxæ dextræ continuo incumberet, & poſtremis his temporibus ne quidem minimum converti ſe ob utrosque retractos pedes, qui loco moti acerbiſſimos cauſarunt dolores, permitteret, factum eſt, ut ab adſtantibus pro renovando lecto vi quadam inde tolleretur, ut ad proxime adſtans interea deponeretur, deprehenſa eſt exulceratio coxæ livida & fœtida, coactaque eſt hinc ſiniſtro etſi cum magnis dolorum exacerbationibus lateri incumbere, ulcus interea oſſis ſacri parum puris dabat, nec injectionibus quidpiam vel preſſione circumjacentium locorum exprimere licuit, jam modo vero ſanies ſpumoſa fœtida puris loco preſſione adhibita ſuccedere incipit, alvi etiam excrementa nigricantia & fœtidiſſima urinæque tales ſuccedunt, tumorque in inguine dextro femoris etiam partem occupat, ad magnitudinem pugni, ad contactum, qui commodior eſt ob decubitus formam mutatam, cedens, quam ferro aperire nec ægra concedere voluit nec nobis admodum placuit ne hæc per nos periiſſe videretur, quam tamen ſors ſua peremit: nihilominus cum adhucdum ſuſtinerent mulierculæ eſſe uterum cauſam hujus tumoris, perſuaſimus ut cœpas cum cineribus coctas mellique & fermento in cataplasma redactas eidem adponerent: cum interea ægra lateri ſiniſtro per dies quinque continuos immota jaceret, ſimilis ſed major livida indolensque & gangrænoſa exulceratio cum fœtore hanc quoque coxam occuparit, ut hinc nulla jam decubitus forma commoda ſupereſſet, ægraque imo omnes adſtantes nil magis quam beatam analyſin exſpectarent, 9. Aprilis in inguine ruptus eſt inopinato abſceſſus, & effluxit tenuis ſubrubra fœtidiſſima & cadaveroſi odoris ſanies, ita ut intollerabilis omnibus eſſet, tumorq; quem uterinum eſſe putabant multum diſparuit, jam non ſine pudore aliquo aſſenſum ſuum nobis darent mulierculæ, interim ſum̃a virium adeſt dejectio, perfrigeratio extremo-

tremorum ad calorem non amplius rediens, lingua gravis, ſermoque hinc vitiatus, reſpiratio difficilis, cum deglutitione potulentorum ſuſpenſa, & die 11. Aprilis exoptata dolorum omnium medela mors.

## SCHOLIUM.

RHeumatismum coxendicis ex congeſtione & infarctu humorum in coxa oriundum hic exhiberi omnibus rei medicæ peritis in confeſſo eſſe perſuaſus ſum, quæ vero ſubeſſe potuerit cauſa, penitius paulo indagare oportet. Prætermiſimus in hiſtoria morbi memorare, quod ægra hæc, toto graviditatis ſuæ tempore totam molem uteri, dextræ inhærentem coxæ habuerit, exinde vero facile colligere licet non levem anſam morbo huic datam eſſe, cum per preſſionem inſolitam vaſorum ſanguiferorum inguinalium præcipue & iliacorum inæqualis humorum diſtributio fieti potuit & debuit, inprimis cum biduo ante partum, urgentibus tamen jam pariendi laboribus, corpus violentius ut dictum eſt moviſſet. Uterum vero in gravidis in hanc vel illam partem procumbere præter quotidianam eamque obviam viſuique expoſitam, experientiam ratio quoque dictat, cum enim indies mole ſua increſcens pelvi circumſcribi & contineri non poſſit, oblongæque pyriformis figuræ cum ſit, & quoad fundum potiſſimum diſtendatur & augeatur, multoque gravior evadat ea parte, quæ ſupra ligamenta (cum alias extra imprægnationis ſtatum ligamenta uterum totum continere videantur) quam contraria eſt, manifeſtum eſt uteri ligamenta membranoſa incapacia eſſe prohibere tantæ molis in hanc vel illam partem prolapſum: Ut hinc etſi defendere nolim adeſſe extra graviditatis tempus tam frequentes uteri perverſiones quales Veteres ſupponebant & ſpaſmos potius convulſionesque meſentericas tragœdiam ludere in talibus caſibus certum ſit, tamen in prægnantibus & paulo poſt partum eosdem contingere, & in ſpecie hic contigiſſe, perſuaſus ſum: nam etſi uterus à partu ſatis cito in-

terdum ad naturalem priſtinamque figuram redeat, & Henricus à Deventer, in defuncta puerpera 8. vel 9. die uterum tam exilem & naturaliter conſtitutum mirabundus invenerit, quaſi puerpera non fuiſſet, Operat. Chirurg. c. IX. tamen mox à partu ſæpius dislocatio uteri fieri poteſt, cum frequentibus partionibus tonum ſuum & vim ſe contrahendi amiſerit, capaciorque ultra morem redditus non recto in loco intra pelvim ſubſidet, ſed ad latus alterutrum declinat, ibidemque inſtar marſupii conſtricti, in molem ingentem complicatur, ut probe animadvertit Williſius de Morb. convulſ. cap. X. utque hinc ego quidem ſatis demirari nequeam, quî fiat, quod recentiorum pauciſſimi dislocationes has uteri comemorent, cum tamen & Veteribus & Hippocrati ipſi creberrima earum fiat mentio. Ita ut quædam in demonſtrationem theſeos noſtræ adferamus, libr. de Natur. Puer. Edit. Fœſianæ p. 237. quandoque, inquit, uteri ſanguine redundantes in coxendicem & lumbos procumbunt, & dolores exhibent, nonnullisque in inguine velut tuberculum oboritur, ibique in pus converſum foras prodit, quales vero dolores hic contingere intelligat Hippocrates, colligere licet ex libro 2. de Morb. mulier p. 647. ubi ſi uteri in latera decumbant, durus tanquam pila, inquit, inſiſtit, & contractus velut ulceratus dolet: Et paulo poſt, ſi uteri in coxam deſidant, docet, niſi celeriter decedant, rurſusque ſuo loco reſtituantur, coxæ adhæreſcentes reſiccari, quod diſtinctius p. 652. expoſuit, dum ſi uteri in coxam procumbant, inquit, dura ad lateris inanitatem evadit, imo ventris dolor eſt & ad ipſam lateris inanitatem, lumbos & crura ingruit ac extenditur, pus colligit, & ea quæ per concerpta linamenta fit, curatione indiget, pereuntque, niſi quid ſeces aut uras. In ſpecie vero in caſu noſtro uteri decubitum in coxam dextram factam fuiſſe loquuntur omnes circumſtantiæ, aderantque omnia ſymptomata, quæ Hippocrates in ſimili caſu requirit: ita enim 2. de Morb. mulier p. 654. inquit: Si ex partu uteri in dextram obverſi fuerint, puerperii purgamenta non eunt, dolor imum ventrem,

lumbos

lumbos & laterum inanitates detinet, crus dextrum gravitas & torpor occupat, ita Stymargi ancillæ Idumeæ ex filiæ partu uteri osculum convolutum est, & in coxendicem & tibiam dolor firmatus est 2. Epidem. Sect. 4. p. 1037. & Prædict. libr. 2. p. 113. si in coxa aliquid concrescat, & ad inguen dolor perveniat, femur torpores sentit, & ad poplitem primo, post per tibiam ad tarsum primam pedis partem feruntur, crusque modo calidum modo frigidum evadet, quod abscessuum notam esse alibi docuit: pedem talis extendere non potest juxta p. 565. libr. de Natur. muliebri, sed digitorum capitibus gradientes incedunt, ut optime Cælius Aurelianus exprimit morb. Chron. L. V. cap. I. si quis erigat ita adfectum aut transmoveat præ dolore quantum potest ingemiscit juxta p. 560. de internis affection. ut reliqua jam taceam.

Ardores in volis manuum, & plantis pedum, sitis, & faucium siccitas sudationesque nocturnæ, febris lentæ consectaria esse: partimque ob susceptum à natura acerbiorem motum sanguinis ad abstergendum discutiendumque in quapiam parte corporis infarctum humorum, partim etiam ob sanguinis densitatem & resiccationem seri, justo majorem, hincque dependentem nonnisi violentam per extrema vasorum circulationem provenisse nullus facile dubitabit: violenta enim illa pressione & circulatione impeditiori major attritus in vasis extremis, quæ in nulla parte corporis immediate quasi tactui exposita ita sunt, quam in volis manuum & plantis pedum, hincque ardoris sensus excitatur: labefactato insuper vasorum extremorum præcipue ita tono, tempore somni, quo sanguis ad interiora magis se recipit, juxta aphoris. 28. Sect. v. Epid. 6. hincque omnes acuti inflammatorii viscerum morbi nocturnas exacerbationes, ut & puris collectiones juxta Epid. 7. habent, & cum præterea omnes excretiones, præter per sudores contingentes somno tollantur, fit, ut sudores largi obveniant, in universum enim sudores quosdam ex corporum dissolutione, quosdam vero ardoris vi fieri docuit Præceptor.

Cum fluentibus postea lochiis, uterus ad minorem molem devenisset factum est, ut in cavitatem pelvis ceu locum debitum prolaberetur, remanens tamen claudicatio testimonio fuit, adesse in coxa & inguine collectionem ulcerosam: etsi enim ob cutis musculorumque robur & pinguedinis copiam nulla sui extus tumore vel rubore daret judicia, abscessus enim non innotescunt, vel ob puris crassitudinem, aut loci juxta *6.* Aph. 41. & in specie in his suppurationibus pus esse potius quam carnem alte pervadit nec aliquamdiu sic se ægrum habere innotescit exemplo Eupolemi in 5. Epid. Ægro. *7*, tamen multa aderant alia judicia, quæ Hippocrates in occultis puris collectionibus adesse docuit: ita febris non dimisit, sed interdiu levior noctu vero major fuit, sudores multi oborti sunt, & iisdem diffluxit fere ægra, quod utplurimum fieri 41*9*. Coac. docuit, oculi cavi redditi sunt, malæ rubebant, ungues adunci evaserant, quæ omnibus tabidis propria sunt, digiti maximeque summi incalescebant, & in pedibus tumores oborti sunt, cibos minime adpetebat, quibus signis diuturnas indicari suppurationes, quibus multa fides habenda est, monuit Hippocrates libr. Prænot. p. 42. & 402. Coacar. Factamque puris coctionem 18 Februar. circiter ex remissione dolorum conjicere licet, majores enim dolores fiunt cum pus fit, quam confecto, quod postea in osse sacro sui indubitatas notas dedit, quo ob supinum continuo corporis decubitum denegato alio exitu gravitate sua concessit.

Nigra & fœtida dejectio judicium præbuit non jam puris sed putredinosæ corruptionis, quare multis in locis ab Hippòcrate damnatur, sic etiam etsi rupto abscessu post sanies fœtida efflueret lethale erat judicium: optimum enim est pus album æquale, & læve, & quam minimum graveolens, contrarium autem pessimum Prænot. p. 3*9*. lethale est pus in empyicis lividum aut ex pallido virescens ex 402. Coac. & amurcæ simile ex hepatis ustione 451. Coacar. subcruentum & cœnosum Prænot. 43. & fœtidum 7. Aph. 44.

Atque

Atque ita morbus hic infeliciter licet terminatus, auxit potius quam diminuit famam nostram, veraque esse expertus sum, quæ Hippocrates Præd. libr. præmittit, quod is scilicet, qui prædictionis suæ successum consequitur, apud prudentem ægrum admirationi erit, qui vero deerraverit præterquam quod odio gravabitur, nec insaniæ quidem suspicionem effugere posse, & quod in Prænot. libro annotavit, quod qui morituros prædixerit & prænoverit ægros, extra culpam constitutum fore, & sicuti ille in citato ex 5. Epid. libro Eupolemi casu, qui diu ignoratus est pus habere, donec admodum debilis exstitisset, in simili morbo, crustisque multis magnis & densis licet inustus mortuus, paulo post tum ex ulcerum multitudine tum debilitate corporis, esset, dixit: hic videbatur inquiens liberari posse si unica ampla sectione sectus fuisset, ac per eam pus demissum atque in hoc tempore facta oportuit: ita ego de ægra tum temporis nostra dicere possum verissime, eam servari potuisse, si salutaria consilia admisisset & sectionem non reformidasset.

Ut enim paucis etiam curationis adhibitæ modum sub finem exponam, sciendum est, ægram nonnisi tardius doloribus jam auctis medicatione uti incœpisse uti dictum est, nec tam ad medicamenta congrua adsumenda perduci potuisse, interne ergo præter pillulas dictas & alias ☿ales pauca adhibuit, ex quorum usu aliquantum melius etiam habebat: externe vero plura adhibuimus: venæsectionem in pede cum non admitteret, scarificationem coxæ instituerat, sed cum dolorum augmento, vesicatoria ibidem nihil effecerunt, ut & fonticulus inter principia musculi Gastrocnemii, quem tantopere laudat Scultetus, frustraneus fuit: emplastra ♀rata, & diaphoretica varia in usum sed frustra tracta sunt, & post pro dolorum aliquali mitigatione fotus ex decoctione herbarum antiarthricarũ, ex vini spir. accenso, linimenta etiam varia modo ex solutione saponis Venet. spir. vini camphor. facta & succo lumbricor. remixta seu liquamine ejus, modo ex solutione ⊖✻ci &

ciner. clavellat. in ▽ conveniente, ad mentem Lentilii facta, non intermissa sunt etiam suffumigia, nec illud Slevogtii, ex sabina & filice quod Wratislavienses etiam in hist. morb. A. 1702. laudant, Dec. Allii methodo Albrechtiana in Ephem. D. 2. A. 6. p. 45. adhibitum mitigavit dolores, sed ob fœtorem ægra amplius bina vice adhibere noluit: cognita vero suppuratione cum nec sectionem nec inustionem per cauterium potentiale, vel ruptoria cataplasmata admittere voluisset ægra quod uterum tumorem hunc facere persuasa esset, suo fato permissa est, & præter pulveres ⊕so-♃nos cum Spec. de hyacinth, & M.P. de cynogl. granis 3. aut 4. pro symptomatum mitigatione sub noctem sumendos nihil amplius adhibuit, cum prius inter alia etiam succum lumbricor. in Dec. Trifolii fibrini sed semel tantum frustra sumsisset.

At vero feliciorem sortem experta est fœmina nobilis ejusdem fere ætatis, & bono corporis habitu gaudens, quæ frequentibus puerperiis etiam exercitata cum esset, & novissime ex filii partu rite purgata esset, nescio ex qua causa quinta à partu hebdomade, vehementissimam passionem colicam incurrit, ita ut lipothymici frigidi sudores, animique deliquia continuo urgerent, imo iliacorum vomitus jam instare videretur, frustra enim alvum obstructam clysmatibus oleosis emollientibus sollicitavimus, frustra etiam inferiorem ventrem similibus cataplasmatibus fovebamus, donec tandem ex usu amygdalorum dulcium olei, cum ☿ dulci in minus artificiosam quidem mixturam, sed omnibus intentionibus satisfacientem redacti alvus primum liquida deponeret, & post globularia stercori caprarum similia: Evasit ita fœmina hæc, quam jam morituram omnes deflebant, verum ab illo tempore in coxarum dextra dolores sensit cum claudicatione pedis & prohibita extensione convenienti, utebatur primum balneis & linimentis spirituosis, sed augebant dolores, successu temporis supervenerunt etiam sudores nocturni, æstûs sensibus exacerbas, cum siti & amarore oris etiam, sed dolores femur tantum

ad

ad genua usque occuparunt, nec ultra proceſſerant, nihil etiam in inguine doloris aderat, ſepoſuit omnia mulierculàrum conſilia, quod iis non ſatis fideret contentaque fuit cataplasmate ex ſemine lini lacte cocto domeſtico, quod coxæ dolenti adplicabat cum lenitione aliquali dolorum, poſt duos menſes animadvertit coxam aliquantum tumere ſine rubore tamen, & ſine aliquo faſtigio, ſudores nocturni interim & reliqua omnia continuant, cum dejectione virium & lenta corporis conſumptione, cumque tumorem hunc manu examinaſſemus, deprehendimus preſſioni cedere & fluctuationem quandam obſervabamus, pus ergo confectum eſſe pronunciavimus, & Chirurgo licet diſſuadente inciſionem fieri curavimus, & ſtatim erupit pus album æquale ſine omni odore pauloque poſt plenarie convaluit, ſudores remittebant per ſe, qui ultimo tempore magnum pruritum in corpore cauſarunt, quos etiam ad tempus procedere permiſimus, donec per ſe expurgatis recrementis ſanguinis ſalutariter deſinerent.

(*Sempronio Auguſtam Vind. ab Exc. D. D. Genſelio, d. 26. Jun. A.* 1719. *miſſa.*)

# OBSERVATIO LXXX.

## Dn. D. Danielis Fiſcheri.

## *Anatomia pleuriticæ mulieris.*

CUm præterito anno pleuritis epidemice graſſaretur, ſtudui ut aliquod ſubjectum hoc morbo laborans cultro ſubjicerem anatomico, nimirum ut de controverſia, de loco inflammationis tam acriter à quibusdam agitata quid ſentiendum ſit, quodque inter pleuritidem & peripneumoniam intercedat diſcrimen, viderem: Mulier autem obveniebat conſtitutionis ſanguineo-cholericæ, 30 annorum, hæc primo conquerebatur de anxietate præcordiorum, & dolore pungitivo dextri lateris, quibus ſe jungebant ſymptomatis, reſpiratio

diffici-

difficilis & dolorosa, cum febri acuta; quæ quidem accidentia cum de die in diem crescerent, eandem quoque oppresserunt, mortique tradiderunt. Impetrata ab amicis venia secandi, & aperto Thorace atque Abdomine, in hoc nihil repetiebatur p. n. in illo viro vidi dextrum pulmonum lobum inflammatum, ac in vasculis pulmonalibus majoribus, concretiones polyposas. Adeoque verum est effatum *divini senis Hippocratis de locis in homine*, quo docet peripneumoniam fieri ambobus lateribus offensam subeuntibus, pleuritidem vero uno duntaxat latere pulmonum oblæso; quod etiam secuti sunt *Herophilus, Platerus, Zechius, Hoechsteterus, Sylvius, Bonetus, Malpighius, Willisius, &c.* Nescio ergo unde quærant *Veteres Galenici* sententiæ suæ (habent enim pleuram pro sede hujus mali) argumentum. Quamvis etiam negandum haud est, illam costis, dorso, & internis pectoris ossibus ac musculis, supertensam membranam, quam pleuram vocant, inflammationibus prompte posse corripi: cum ut eleganter *Frid. Ruyschius* demonstrat, plurimis instructa sit arteriolis, tamen ea membrana, pro sede veræ & exquisitæ pleuritidis habenda non est, cum ejus inflammatio illam affectuum syndromen consectariam habere haud possit; hinc pleuræ inflammationem spuriam esse pleuritidem, cum sanioribus Practicis statuo. Ecquidem, de dolore pungitivo asserunt *Galenici* eum in pulmonibus insensibilibus sentiri haud posse; sed hos à vero aberrare, ipsa substantia pulmonum evincit, quippe quam *Hippocrates* raram & teneram esse docet. Nam ex anatome constat, pulmones membrana extrinsecus succingi, in quam ut *Cl. Vieussens Nevrograph. p. 185.* demonstrat, nerveæ quamplurimæ fibræ desinunt, atque edendis sensus tactus actibus aptam eandem reddunt, ut proinde illius inflammationem difficilis spiritus, ac pungitivus lateris laborantis dolor, ceteraque symptomata, ex quibus legitimam cognoscimus pleuritidem comitari omnino possint & debeant. Ad hæc arteriarum, quæ per pulmones sparguntur innumerabili

copia

copia diſtenſio diſtractioque varia, varium quoque dolorem efficit.

# OBSERVATIO LXXXI.

## Dn. D. Danielis Fiſcheri.

## *Lapis Bezoar in Dama repertus.*

INter alia animalia quæ Carpatus noſter poſſidet, ſunt Damæ, ſeu capræ alpinæ & rupicapræ dictæ, quæ ſunt ſpecies caprarum noſtrarum, & colorem pilorum referunt in rubro nigricantem, cornua habent verſus poſticam partem reflexa, quibus ſe ſaxis appendunt, ac caudam exiguam, ſed piloſam; in alpibus degunt; De his itaque cum locutus eſſem cum venatoribus referebant ſe ſæpiſſime invenire lapides in ventriculis earum, quos ergo rogavi, ut mihi tales adferrent, ſi quosdam impoſterum reperirent; qui promiſſis ſteterunt, attuleruntq; mihi IX. lapides, quorum maximus ovum columbinum æquabat, reliqui vero paulo minores erant, minimusq; piſi Leuchovienſis magnitudinem habebat; Ex his lapidibus quosdam contudi, & vidi eos congeries eſſe plurimarum lamellarum; intus colorem cineritium habebant, extus vero ex atro virentem, nihil autem de pilis vel muco cacochylico ex herbis reperi. Cum ex venatoribus percontatus eſſem, quando & quæ capræ hos lapides habeant, reſponderunt, nullum eſſe certum tempus, ſed modo hoc, modo illo tempore id fieri, ſed hoc ſe ſemper annotaſſe affirmarunt, quod hæ capræ tum morbidæ ſint, idque ex curſu utpote tum temporis tardiori præſagiunt, quin & macilentæ magis exſiſtant. Virtutes in praxi Medica easdem habet, quem lapis bezoardicus Indorum, de quo vid. *Bontius de Med. Indorum Lib. I.* Hiſtoriam quod attinet anatomicam de ea vid. *Pæonis Ep. ad Helianthum, de Rupicaprarum interaneis & ægagropilis,* quæ habetur *in Append. ad A.I. Dec.II. Eph. Med. Phyſ. N C.*

# *OBSERVATIO LXXXII.*

## Dn. D. Danielis Fischeri.

## *Aquarum petrefactio.*

REperiuntur in antro draconum Petræ Benedikova dictæ, montium Deminfalvensium aquæ ex petris stillantes, & in petræ substantiam abeuntes, figura varia eaque etiam admiranda, pro vario aquæ stillatæ casu supra partes sive guttas antea destillatas. Misit mihi *Cl. Dn. Georg. Bucholz Rector Nagy-Palagyensis* tales lapillos in aqua concretos ante aliquot septimanas, ex quibus aliqui conum acutangularem, quidam lateribus asperis, quidam vero planis præditi erant; aliqui vero rotundi, pisi magnitudinem æquantes, aliqui ex pluribus globulis modo majoribus modo minoribus erant compositi. Color quorundam est albicans plus minusque flavescens, quorundam vero ex atro albicans. Hujus rei rationem perquirens, experimenta institui, & observavi hos lapides infuso ∾u ⊕i effervescere, quod innuit 🜃. ⊖e alkalico imbutam; Porro observatur 🜍e ⊖ia purificari, eorumque promoveri crystallisationem, id quod exemplo crystallorum ⦶. ♀i, ♀ ⊕ti, constat, in quorum quippe præparatione dum 🜍 additur, clariores acquiruntur crystalli, adeoque pelluciditas quorundam lapillorum docet, inesse quoque illis 🜍, & quo clarior lapis, eo plus 🜍is eum continere. Atque hæc elementa sunt horum lapillorum, videlicet 🜃. ⊖ & 🜍. quæ invicem juncta in vehiculo ▽eo natitant, quibus intra petras etiam gummosa admiscetur materia. Cum ergo talis ▽a liberiori exponitur aëri, aqua avolat, quoniam sua natura poris amplis, & particulis tenacissimis villosis & plicabilibus gaudet, quæ in transitu aëris, eidem se tam facile sociant, implicant, eoque ipso cum eodem avolant. Meretur hic ut annotetur locus *Cl. Mart. Gotth. Lerscheni in Diss. de Lapid. Concret. & Accret.* §. *VI p. 12. Intra petras gummæ nonnun-*

*quam*

*quam elaboratæ profluunt, preſſuræque* 🜁*is expoſitæ coagulant non modo, verum etiam aliæ partes gummoſæ affluentes maſſam concretam involvunt, illique tandem arctiſſime concreſcunt.* Cæterum quod figuras admirandas attinet horum lapidum, de his evolvi poteſt *Cl. Chriſt. Vateri Phyſiol. Experiment. P. ſp. Sect. V. Cap. VI. Q. III. p. 410. ſeqv.* qui de his accurate egit.

(*Sempronio Auguſtam Vind. ab Exc D. D. Genſelio. d. 26. Junii A. 1719. miſſæ.*)

# *OBSERVATIO* LXXXIII.

## Dn. D. Georgii Dethardingii.

## *Tartari emetici drachmæ binæ ſatis innoxie devoratæ.*

VIr & generis antiquitate, & eruditione ſolida, & meritorum in Rempublicam undiquaque inclutus, ſexaginta quatuor circiter annorum, juſſit famulum à Chirurgo ceu hoc familiare ipſi fuit, petere cremoris tartari binas drachmas ad alvum leniter ſollicitandam. Chirurgo abſente, hujus uxor ipſi diſpenſat tartari emetici drachmas duas, quas citra quod ulla ſuſpicio de Medicamenti errore animum moviſſet, liberaliter aſſumit. Aſt errorem primus horæ quadrans à deglutitione detexit, dum vomitus unus alterve non ſine præcordiorum anguſtiis eſt inſecutus, qui tamen poſt aliquot repetitiones iterum ceſſavit, & omnia fuere iterum compoſita, niſi quod in artubus dolorem quendam obtuſum adhuc perceperit.

## *S*CHOLIUM.

QUin doſis tartari emetici fuerit non maxima, ſed venenoſa, & citra quod propinanti manere poſſit ſpes, hunc, qui illam aſſumpſerit evaſurum fore vivum, nemo negaverit. Sufficiunt etenim grana tria, ad ſummum quatuor, pro ſcopo

 ven-

ventriculum ſubvertendi. Aſt in memorato exemplo ego mihi perſuaderem erroneam illam & ſtupendam doſin fuiſſe loco remedii, quod mors atrociſſima & convulſionibus horrida non fuerit inſecuta. Fruſtra foret harum mearum cogitationum fundamentum ponere vel in acido fermento ventriculi, quod ſua vi eluſerit efficaciam emetici illius, quandoquidem ſunt, qui abhinc difficultatem vomendi ab emeticis in Melancholicis deducere ſolent; vel in muco fundum & latera rugoſa ventriculi obducente, quo minus ſpicula ſalina tartari emetici undique titillare ventriculum potuerint, & ad vomendum laceſſere; vel in tartari emetici debiliori virtute, à Chirurgi fortean imperitia in arte chymica derivanda. Citior enim ſolito & repetitus effectus Medicamenti ſive veneni propinationem excipiens, neutrum ex iſtis admittit, ſed magis dubiis involvit, qui potuerit tanta quantitas illius citra vitæ diſpendium tolerari? Huc redit mea mens, non fuiſſe omni tartaro emetico aſſumpto permiſſum ſpatium ſolutionis in ventriculo, nec ergo operationis eventum, quin ſtatim ab aliquibus moleculis ejus diſſolutis vomitus ſit inſecutus, & ſub primis his inſultibus reliqua doſis tartari ſimul excuſſa, & hinc eluſa tragœdia, quam certo certius error fœminæ medicatricis fuiſſet producturus. Confirmor in hac mea ſententia exemplo pulveris radicis Hypecacoannæ, cujus virtutem emeticam nemo hodie in dubium vocat, aſt, cujus blandos mores abhinc eſſe judico, quod ſub primo, ab illo aſſumpto, vomitu, ipſa radix iterum excutiatur & in conſpectum veniat, adeò ut imperitum etiam vulgus, cui iſtam Medici propinant, doleat ſtatim ac pulvis iſte aſſumptus fuerit, illum iterum rediiſſe, nec ergo effectum ſperatum, **da ſie vomiren wollen**/ potuiſſe obtinere. Nec ergo binæ drachmæ illud hic præſtarunt, quod ſex grana præſtitiſſent, i.e. præcipitarunt in anguſtias mortis.

*OBSER-*

# *OBSERVATIO* LXXXIV.

## Dn. D. Georgii Dethardingii.

## *Risus involuntarius.*

NOn ita pridem fatis cessit Vir profunda eruditione per orbem commendatissimus, quem, ceu Patinus quondam de se dicere solitus erat, se regnare in studio notitiæ nummariæ, regnasse affirmaveris in Matheseos doctrinis, adeo scripta ejus, quæ has tractant, omnibus sunt regulæ loco. Huic per annum ante obitum suum, nihil magis erat tædiosum ac ridere, id quod tamen illum vexabat sub seriis colloquiis cum Magnatibus, cum amicis, cum domesticis famulisve, ut videretur omnes sannis eludere. Non infrequens ergo erat videre hunc ridentem simul lachrymantem, quod severitati deditus deplorabat miseram hanc suam conditionem, quæ illum risui aliorum exponebat, & negabat cum aliis commercium serium. Erat cæteroquin melancholicæ indolis & ætatis ultra quinquagesimum, affectus hypochondriaci tyrannidem Medicorum chalybeata offerentium consiliis, uti referebat, admodum auctam, quotidie sustinens; potuisset ergo allegari in exemplum versiculi illius triti:

Splen ridere facit.

## SCHOLIUM.

QUoties ætiologiam hujus mirabilis risus pensitavi, magis magisque sentio aut risum non spectare ad motus voluntarios, aut horum aliam esse statuendam descriptionem, ac quod in arbitrio animæ sint repositi. Non minorem difficultatem attulit ipsius risus genesis, de qua multa habent Authores, sed pauca hac lege probant, ut animus sciendi cupidus saturatus recedat. Nunquam quippe mihi persuadere possum, sufficere ad risus explicationem, si dixerim, naturalem risum fieri ab exaltatione spirituum animalium, ab horun-

dem vero irritatione insigni risum præternaturalem surgere, quibus tamen verbis Vir in arte medica non inglorius Lectorem suum dimittit; æque qui Cartesii ingeniosissimi ætiologiam pensitaverit, quam de risu in libr. de passion. animi attulit, desiderabit probationem postulatorum, & connexionem inter phœnomena sub risu obvia, quæ præcaria satis est. Non ego dixerim meditationes meas de Risu, risum aliorum effugere posse, dabo tamen harum sciagraphiam alia occasione evolvendam, an cotis instar acuta Doctiorum ingenia magis valeam acuere. Haud alium vero conceptum mihi formare possum, si omnia quæ in ridentibus obveniunt probe pensitavero, quam spectare risum ad consilia animæ, quo lætitia mente concepta tuto magis continuet. Sub lætitia, quod in confesso est, sanguis per vasa & partes majori impetu decurrit, pulsus fit magnus & vehemens, faciem rubor distinguit, calor corpus sensibiliori perceptione pererrat; quæ omnia testatum faciunt, fieri in motu sanguinis mutationem quandam, magis tamen quoad motum ejus intestinum ac localem sive progressivum. Succurrit vero & suppetias fert circulus sanguinis per pulmones, à quo alter per ambitum corporis suos stimulos accipit, tam ut vividior ille obtineat, quam ne ex improviso illa sanguinis exaltatio stasin quandam hinc inde incurrat. Utrique negotio iterum subvenit & sufficit, quando aëri liberæ non modo sed admodum patulæ sunt viæ intranti ac redeunti, & succussatorius quidam motus bronchia, hisve appensa vasa exercet. Non ergo difficile erit, sed sponte fluit, ut intelligamus quare sub lætitia risus, sub risu rictus oris, mutatio vultus, colli extensio, aëris tremula exclusio, abdominis reciproca elevatio & concidentia, cachinnatio &c. sint familiaria, modo quod pro gradu lætitiæ, imprimis ex improviso surgentis, gradu majori vel minori, pro temperamenti indole diversa, item, quod unus præ alio sit bene moratus, &c. phænomena memorata ridentibus solennia magis aut minus oculos auresve adstantium feriant. Quod autem obser-

obſervationem à me allatam ſpectat, non diffiderem conclu-dere, hunc riſum involuntarium & hinc gravem reſpexiſſe præcavendam ſtaſin in homine temperamenti melancholici facilem, imo in illo magis metuendam, quod affectus ſple-netici olim & nunc familiares vexabant, ac ſub vita quoque ſedentaria, qua delectabatur, non parum increverant. Non negaverim tamen, anomaliæ quicquam ſubfuiſſe, alias in omnibus melancholicis obſervaretur, ſed quæ tamen vel è longinquo reſpexerit finem memoratum.

(*Roſtochio Auguſtam Vind. d.* 22. *Sept A.* 1719 *miſſæ.*)

## *OBSERVATIO* LXXXV.

### Dn. D. Joannis Davidis Wogau.

### *De ſtupendo hydatidum partu.*

Ex uteri nobiliſſimo pariter ac ſumme neceſſario viſcere, fertiliſſimo ſcilicet naturæ agro, præternaturalia etiam procreari, vix ullum medicorum eſſe puto, quem lateat: Monſtra enim, molæ, & hujus generis alia, &c. id abunde declarant, & Miſcellanea Naturæ Curioſorum, ut & aliæ ob-ſervationes Medicæ à Practicis paſſim libris inſperſæ ſatis te-ſtantur. Quibus etiam caſum ſequentem ad ſtudium phyſico-medicum magis excolendum, voluntate D. Præſidis, ob ſingu-larem raritatem, & varia notatu digna, adjicere, non incon-cinnum eſſe duxi: Hiſtoria autem ſequenti tenore ſe habet:

Chriſtophori Ubleri, pellionis hujus loci conjux, XXXI. annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, & quinque liberorum mater, vegeta tamen & ſana, hactenus ignobiliori victui & duris laboribus asſueta; advertit ſubſiſtere menſtru-um fluxum, & exhinc mammas & abdomen ſenſim intumeſce-re, ita, ut ſe utero geſtare exiſtimaret. Tertio exacto menſe ſiti vexabatur immodica, pedes circa talum intumeſcebant,

cum

cum prostrato appetitu, stillatitio sanguinis ex uteri venulis fluxu, & lassitudine totius corporis. Ne itaque gravius exinde resultet malum, obstetricem in consilium adhibet; quæ ei, ut vena, medio gestationis tempore, in brachio secaretur, persuasit: Mulier dicto audiens, &, quinto licet exacto mense, nec minimum fœtus motum persentiens, venam sibi tundi curavit: Vix vero sanguine ex mediana extracto, uteri hæmorrhagia adeo cœpit esse immodica, ut mulierem, gravissimis animi deliquiis correptam, vita oppido excedere, adstantes omninò putarint; accersor itaque quam maturrime, & instantissimis mariti precibus commotus, contra animi defectus, habita quidem insimul ad fluxionem consideratione, medicinam facio; quibus refocillata aliquantisper ad aliquot horas melius se habere visa est, donec, vespera appropinquante, præcedanea symptomata recurrunt, & mulier, voce quidem debilissima, de gravissimis ad partum doloribus vehementer conqueritur: Obstetricem ergo reclamant, quæ oppido adventans, & jussu meo uteri constitutionem explorans, serio affirmat, hiare uteri cervicem, & omnia ad partum dispoſita inveniri. Ego hujus rei certior factus, ne lipothymiis interciperentur dolores, medicamenta adorno, & vix uno vel altero cochleari oblato, ecce! miraculosus vesicularum fœtus in lucem excluditur: Proveniebat siquidem ex arvo muliebri in conspectum carneæ substantiæ, instar placentæ uterinæ, quædam portio, libram circiter pondere unam adæquans, cui adnata erat fibroso-musculosa, mucilagine quadam illinita, membrana, in qua confuso satis ordine, nobis omnibus stupentibus, vesiculæ & pustulæ innumeræ, peculiari radice unaquæque prædictæ membranæ insertæ conspiciebantur, cum subsequente fluxu, & gravi deliquio. Elapsa post semihora, rursus ejusmodi carnosa substantia cum superstrata membrana, hydatidibus innumeris referta, protruditur, ita, ut spatio duarum horarum quinque hujuscemodi partes, aliquot centenis hydatidibus scatentes, quinque quoque partitis vicibus,

multo

multo naturæ conamine, mulier hæc pepererit. Ex hisce vesiculis, cum acu aperirentur, effluebat putrida & citrini coloris aqua, quæ gustu erat gelatinosa, subdulci quidem & amariusculo principio prædita: dispares etiam erant magnitudine, nucem enim juglandem aliquæ, pleræque vero pisi formam referebant.

Et ita parturiens nostra ex orci faucibus erepta est: firmissime enim persuasus sum, quod, si mirandas has vesiculas partu non enixa fuisset, brevi temporis spatio miserrime uterino periisset hydrope. Ast vivit nunc per DEI singularem gratiam, qui medicinæ nostræ ex alto largissime benedixit, incolumis, & optima imo athletica fruitur valetudine.

# *OBSERVATIO* LXXXVI.

## Dn. D. Joannis Davidis Wogau.

## *De inedia, febris ardentis, & dysenteriæ remedio.*

GEnerosi cujusdam Capitanei elegantissimæ formæ filiola, annum agens quintum incidit præterlapso anno subito febrim ardentem malignam, cum tanta vehementia, ut omnes fatis eam cessuram crederent: nihil enim nec alimenti nec medicamenti, durante toto morbi cursu sibi obtrudi passa est, solummodo modico aquæ fontanæ potu contenta: Appropinquante vero nono, utpote critico die sponte sua cibum capessere, & animum variis modis exhilarare cœpit, cum plenaria febris ardentis remissione.

Vix vero cum hoc morbo rediit in gratiam, de novo post aliquot menses febricula infestatur, cum intenso calore, & conjunctis motibus convulsivis: ast nono die, neglectis omnibus medicamentis, per solam à cibis abstinentiam symptomata hæc evanuêre, & febris terminata est.

Cum autem ante tres vel quatuor hebdomadas Dysenteria apud nos impuriora paulisper corpora adfligeret, non intactam quoque reliquit filiolam memoratam; siquidem torminosum hoc malum eam ita molestabat, ut sæpe sæpius unico horæ quadrante plus quam sexies & septies alvum deponere coacta fuerit cum multo sanguine, concomitante tenesmo, magno in ano dolore, convulsione, & summa virium dejectione. Nemo ex nobis ob omnium medicamentorum & alimentorum plenariam abominationem, eam evasuram putabat, nam cum incrementa de die in diem gravissimum hoc malum caperet, puella lepidissima ob exhaustum naturæ robur, & dissipatum fluidum nerveum vix amplius spiritum ducere capax erat: sed ecce! nono rursus die, quod mirum auditu, ultro cibum desiderat & oblatum pullum gallinaceum summa cupiditate comedit, dysenteria interim & cæteris gravioribus symptomatibus sponte, imo oppido, remittentibus.

(*Biberaco Augustam Vind. d. 2. Octobr. A. 1719. missæ.*)

# OBSERVATIO LXXXVII.

## Dn. D. Alexandri Camerarii.

## *Flos Cyani.*

Cyanus Turcicus sive Orientalis non odore solo, quo tamen suavi Moschatus dici meruit, nec colore modo, quo triplici, albo, purpureo, flavo insignis est, Floræ Amasiis sed & naturæ curiosis singulari quodam phænomeno innotuit, ex observationibus primum *P. Borelli*, ubi de Jacea aromatica sermo est, per quam vel intelligitur Flos ille suaveolens, vel tribuitur ipsi, quod & huic competit quam maxime. Res certa satis est & clara, non æque tamen clare descripta: Hinc quia de florendi modo & motu agitur, hujus distincta prius habenda erit ratio.

Est

Est autem cyano illi genus flosculorum multorum duplex, quibus communi calyce squamoso capitato conclusis flos componitur totalis. Conveniunt in hoc, quod sint monopetali, fistulosi, sed modo differunt. Exteriores, marginales, primi expandi soliti, speciosiores, diffinduntur in lacinias graciles, longiusculas, multas, numero vel viginti: Sequuntur interiores quinquefidi pentapetalodes, minus profunde incisi, ex fistula seu tubulo desinentes in filum gracile.

Ex harum, non illarum, fistularum medio erigitur quædam quasi vagina, per hanc suo se tempore exserit stylus, primo simplex, tandem bicornis. Oritur vagina ex superficie interna petali bene infra quinque filis gracilibus; stylus descendit ad usque semen, cum petalo prolongato, fundo perforato, illius summo insidet: Illi est pollen farinæ, qua scatet intus; huic pertranseunti non potest non obtingere, adhærente illo pulvisculo subtilissimo conspergi.

Utroque, & vagina, & stylo, carent marginales, (datur in media ipsarum fistula hoc sensu vacuum) carent etiam semine; hi ergo transeant, tanquam in quibus phænomenon dicendum non observatur: De interioribus solis verum est, quod *Borellus* scriptum reliquit.

Etenim ita incipit: *Flores dum in statu & vigore, & dum quasi flos farinaceus in eis percipitur.* Recte; controversia enim status moveri potest exterioribus, utrum Floris nomen mereantur? Utrum in petalo consistat, quod florere dicitur? Certe nisi flos sit & dicatur Farinaceus, vanus erit, &, si in petalis constituatur floris ratio, multæ plantæ bene fertiles non florerent, ne fruges quidem, quod non dixerim.

Dum ita turgent Flosculi medii, & surgere incipit stylus ille, tunc, juxta Autorem, *si minima herbula tangantur* (perinde est, calamo, bacillo, cultro, digito tangas, quin fortior oris flatus sufficit) tum *pappos contrahunt.* Nullus eminet pappus, sed occultatur subtus, ubi filorum copia floribus & semini-

ſeminibus non connectitur, ſed interponitur, adeoque aliter hîc ſe habet, ac in aliis pappeſcentibus. Nec obſervatur tum æque motus contractionis, quam erectionis: ſcilicet ſtylus cum vagina ſua cui includitur, duos fere motus exhibet, alterum ſurſum ſtyli, retracta vagina, alterum ad latera, ultro citroque.

Ita ſcilicet *plantam ſenſitivam ſe primum obſervaſſe* gloriabatur ille, *ne miremur ſaltem peregrina, cum contemtu eorum; quæ apud nos ſunt.* Idem enim ipſi faciunt *Jaceæ* & *Cardui* quidam *pratenſes.* Ita eſt. Etiam *Stœbe* dictæ. Videtur tamen fere præcellere *Cyanus ille.* Quod autem eo ipſo motu *ſenſum* quendam utut obſcurum *plantis* ineſſe voluit probare, hoc aliud eſt, & transeat.

Superſunt duo: *Hæc actio in eodem flore non repetenda.* Poſtquam ſtylorum unus poſt alterum ad tactum reverenter quaſi ſe inclinavit, tum quieſcunt utique, nec moventur, ſi mox iterum contingas, motumque talem ſtatim prætendas. Verum enimvero patientia. Expectandum tantisper; poſt moram redire licet ad experimentum, & obſervabitur iterum iterumque phænomenon idem, non per horas modo, ſed per diem, & ultra; ex ratione quæ ſequitur.

*In hac actione ſedulitas & perſpicacitas requiritur.* In tempore venire omnium rerum primum eſt. Florem jamjam pandendum decerpe, & aquæ immitte, ſic floſculorum mediorum non ſimul, ſed ſucceſſivè omnium obſervabitur expanſio, & vi hujus aptitudo ad motum, ad ſignum, quaſi viveret, & nutu ſuo tactus ſenſum declararet. Tempore hoc opportuno præterlapſo, fruſtra tangitur ſtilus, fruſtra ſperatur notabilis alias ille motus. Quod jam plene ſurrexit & eminet, non commovetur amplius. Floſculus autem ipſe qua petalodes movebatur nunquam.

Principium ergò talis motus erit in illo niſu tangentis ſtyli ad ſuperandam reſiſtentiam vaginæ, & erigendum ſe rectà ſurſum. Juvat & occaſionem dat tenſo hactenus ſtatui contactus ſolidi cujuscunque externi; Favent tenuia & proin

facile

facile mobilia quæ ſubſunt & ſuſtinent mobiles partes fila gracilia. Quæ confirmantur, quia ſemel obtenta libertate, quam natura in elevando & protrudendo ſtylo intendebat, id eſt, hoc plene exporrecto, nullum ſenſitivæ vel quaſi talis facultatis ullo amplius motu exhibetur ſpecimen.

Interim ſpectaculum eſt breve quidem nec magnum, jucundum tamen & curioſum, atque adeò dignum, de quo quæratur: Cur huic ſoli florum generi competat, aut quo usque ſe extendat ad quascunque aliorum florum partes genitales?

# *OBSERVATIO LXXXVIII.*

## Dn. D. Alexandri Camerarii.

## *Cicatrix ſalivans.*

VIdi ſub finem Julii anno nupero cicatricem vulneris ſub aure ſiniſtra in genam, conſolidatam quidem, ſed guttas ſubinde limpidas ſtillantem; cujus proin phænomena conſignare videbatur operæ pretium.

Cicatrix ut dictum eſt clauſa, firma, non adeò recta quidem, ſed interrupta, ſine dolore, ſine tumore, nulli obnoxia affluxui inflammatorio: Premendo tamen circumcirca, & inter maſticandum & deglutiendum, panem inprimis duriusculum, non ſolum guttæ multæ exſudant, deſtillant, verum etiam eliduntur quaſi ſiphone in diſtans: Accuratiore inſpectione vix comparent hinc inde aliquot per cicatricem puncta modò, anguſtiſſima, tam verſus aurem, quam anteriora, unde ſolebat fieri eruptio, quibus inſeri potuerunt ſetæ ſubtiles: quod inde prodit, tum non fuit, nec alias dicitur fuiſſe, vel cruentum, vel purulentum, omnis quoque fœtoris expers, ſed videtur quaſi mera aqua, non pauca, ſed ſub actu maxillæ tanta, quæ plus quam cochlear unum & alterum repleverit.

Hiſtoriam prægreſſorum retulit tum chirurgus, tum ipſe ſub finem Aprilis iſtius anni vulneratus ruri ſuper imum auri-

culæ & genam ſiniſtram transverſim, cæſim, *juvenis*, militum quondam *tibicen*, ſed abhinc *ſurdaſter*, rude donatus: Curationem in pago ſatis feliciter proceſſiſſe, abſolutam intra ſpatium ſex ſeptimanarum; *mirum* modò ipſi fuiſſe viſum copioſum ex hoc, ut aliàs *ex articulorum vulnere, ſynoviæ fluxum*, qui ceſſare noluerit, cùm ad conſolidationem tenderet; quapropter turundis & pulvere corroſivo fuiſſe tractatum, ſed præterquam quod dolores fuerint excitati, pro ſiſtendo illo fluxu nihil obtentum, ſed vulnus ultro inclinans ad coalitum, ſic eò fuiſſe deductum, ut hactenùs clauſum maneat, dicto autem modo ſubinde madeat. Intus autem in ore & in dentibus nullum eſſe vitium.

His viſis & auditis, fontes *non ſynoviæ ſed ſalivæ* puræ & claræ declarati fuerunt chirurgo; quæ ad ipſum ſpectare videbantur, caput adeoque tertium totum ex *Nuckio* de ſaliva, ipſi expoſita; exprobratum autem ab altero Chirurgo fuit unum & alterum, ſcilicet protracta conſolidatio, uſus corroſivi, & turundarum. Propoſitum inde pro primo tentamine, antequam ad ulteriora ex conſilio laud. ſcriptoris fieret progreſſus, cicatricem ſpiritu vini camphorato diligenter fovendam, & imponendum empl. de minio camphoratum, cum leni compreſſione: Interne tentandum melle roſato illito, ſalivæ in os fluxus an promoveri poſſit. Verumenimverò ſiccari cicatrix, ceſſare fluxus quidem videbatur, ſed ſucceſſit tenſio loci moleſta, obducta fuit & elevata ibi tenuis membranula, ad novam brevi perruptionem & eruptionem ſive ſtillicidium ſalivæ ut antea.

Hinc ſuperveniens forte tertius Chirurgus veteranus provocavit ad caſum ſimilem & ſucceſſum curationis olim cum milite ita læſo & affecto inſtitutæ: ſcilicet vel *barbæ pilos*, vel *capillos capitis* plures paucioresve, majores vel minusculos, hærere incluſos cicatrici; itaque inciſione facta ipſis extractis conſtantem obtentam fuiſſe conſolidationem.

Reſpon

Respondit prior, vulnus fuisse inflictum à tergo, & sic hæsisse quidem aliquos in vulnere capillos, sed à se exemtos, nec per progressum curationis plures inibi à se conspectos: Regessit porrò, si consolidatio impediretur solum à re extranea inhærente, non ita clarum liquorem fluxurum sed saniem, & novos subinde futuros affluxus inflammatorios; quales per tot menses à vere in autumnum non observati. Quod laudatam curationem concernat, illius successum non tam fuisse à tantillorum pilorum exemtione, forsan dubia, quam recentatione vulneris, & occlusione jam firmiore

Tibicen auditis promissis veterani, sub finem Septembris passus est in pago vicino institui sectionem, juxta ductum setæ immissæ; de qua relatum fuit, ipsam ob duritiem cicatricis difficulter fuisse peractam, & difficiliorem adhuc coalitionem, quæ procuranda fuerit absumendo cicatricem præcipitato rubro, ut recens fieret fundus. Interim vel 20. parvulos pilos à se fuisse extractos, constanter prætendit Chirurgus. Et ita quidem clausum iterum vulnus fuit, sed non prohibitus plane salivæ fluxus, utut ex relatione multo parcior. Novembri ergò altera incisio fuit facta ad puncta scaturiginis, & exemtæ dicuntur novæ reliquiæ pilorum minimorum; unde vel tandem fuerit obtenta felix absque ullo amplius madore sanatio. Hæc quidem tunc ex audito: postmodum juvenis ipse mihi obviam factus ruri cicatricem constanter clausam siccamque confirmavit, de ulla ibi molestia non querulus; ad quæstionem de salivæ ex sinistro supero latere oris fluxu dubiè respondens. Scilicet hac occasione addendum videtur, ipsum à vulnere isto & ejus tractatione chirurgica non audire melius, sed pristina æque laborare difficultate.

OBSER-

# OBSERVATIO LXXXIX.

## Dn. D. Alexandri Camerarii.

## *Calculus ex perinæo.*

ESSe ſibi *calculum ex perinæo viri* perrupto ſponte nuper *elapſum*, referens Chirurgus, (qui olim *dextræ pollicem* communicaverat, *cum nervo & tendine flexore avulſum*, thema mihi quondam diſputationis publicæ) rogatus rei ſatis raræ fidem faceret, tandem deſiderio meo ſatisfecit, ipſum exponendo examini meo. Procedam itaque prius per arſin, dicendo, qualis hic mihi non fuerit viſus, quam inquiram in veram ejus originem & naturam.

Non fuit ergò calculus *è veſica urinaria*, quandoquidem nec ante nec poſt hanc excluſionem virum illum ullam urinæ difficultatem fuiſſe paſſum, conſtanter aſſeruit Chirurgus, nec quidquam urinæ ex loco affecto unquam effluxiſſe. Accedit modus materiæ dicendæ, tot calculis lithotomi noſtri, mihi benè notis, non ſimilis.

Non fuit porrò calculus, quales *è veſicula fellea* procedere ſolent, & egeri per alvum; Non modò, quia fuit unus, quem nec præceſſerunt nec ſubſecuti ſunt plures, ſed etiam, quia nullo modo eſt ſimilis illis, quos & quales poſſideo, & & deſcriptos legi ut alibi, ſic in Diſp. ſub Præſid. B. D. *Mezgeri*: ſcilicet non pinguis, non glaber, non aquæ innatans, ſed mox in ea cadens ad fundum. Adde, quod æger tormina ventris dicatur nunquam paſſus, dolores hypochondrii dextri nullos meminerit.

Non fuiſſe tandem videtur calculus *veſicularum ſeminalium*, qualis quidem deſcribitur in Miſc. Dec. II. Añ. VI. Obſ. 158. tam quia hic rarus nimis, quam quia noſter cum fæcibus alvi mox dicendam habuit communionem.

Cata theſin autem fuit *hoſpes inteſtini recti*, & transiit *per perinæi fiſtulam*, proin comparandus fere cum illis Miſc. Ann.

Ann. X. Obſ. XXXIII, & CLXXXV. adde & Obſ. XC. deſcriptis. Ad cujus declarationem & confirmationem ſubjungam, non modò qualis fuerit calculus, quàm qualiter ſe habuerit ante & poſt hunc quaſi pactum patiens.

*Lapillus* ille poſt unum atque alterum menſem *ponderabat* adhuc *drachmam unam, grana quindecim*, oblongus, reniformis, *ſuperficiei* inæqualis non admodum aſperæ, *coloris* obſcurè lutei, fuſci, ſubnigri, micantibus alicubi minimis & paucis externè punctis, *ſolidus* ſatis ad tactum, non tamen ad modum gradumve duritiei lapideæ. Ducta ſuper medium ipſius acie cultri, dividi tandem potuit in duo ſegmenta. Tum comparuit, *nullam* intus fuiſſe *cavitatem, nec* diſtinctum *nucleum*, aut durius in medio ſolidum, quod concretioni & circumvolutioni ulteriori occaſionem dederit primam; ſed intra *cruſtam* duriorem, *quaſi corneam*, fuiſſe ex minimis & ſubtiliſſimis quaſi pilis, velut glutine quodam compactam maſſam molliorem, comparandam ſuo modo *ſpongiæ*, vel potius *ægagropilæ*; paucis, *concretum* fuit *durum*, neſcio quod, *non* æque *ſabuloſus lapis*. Tantillum ſcobis deciduæ in pruna fumigando, alicubi bulliendo, abiit in carbonem atrum, in eoque ita perſtitit.

Cæterum, quod hiſtoriam ipſam, *Virique* conditionem concernit, ex relatione huc redit: Eſſe *Prætorem ruſticorum*, nondum ſenem, ſanum, robuſtum, & ad laborandum & ad compotandum ſufficere, paſſum à multis vel 12. annis, abſque prævio vel conjuncto morbo, *veſiculam* ut ajebat in perineo, non ſine quadam nec tamen magna inter eundem, *æſtate* inprimis, minus *per hyemem*, moleſtia, ſolitam ſtillare non niſi parum ichoris tenuis; chirurgos conſultos dixiſſe *ulcuſculum à furunculo* relictum, nec potuiſſe tamen curare, quin manſerit orificium anguſtum, apertum, viſum quidem ſiccari interdum, nunquam tamen plene clauſum, itaque diu negligentius habitum, impoſito emplaſtro non ſatis tenaci utcunque tractatum. Tandem ad majorem moleſtiam voca-

tum chirurgum, conditionem loci accuratius explorando, cum ſpecillo ſtatim appuliſſe ad *ſolidum* quoddam *obſtaculum*, durum, non ſine ſono quodam ad tactum, unde non potuerit non referre Prætori, adeſſe calculum, inciſione extrahendum è ſuis latebris. Spe igitur facta operationis non difficilis, conſtituto die ægrum equitem concitato curſu (etenim ipſe à motu urgens calculus dolorem videtur tunc intendiſſe) advolaſſe in pagum vicinum, locum habitationis chirurgi, & ſe exhibuiſſe facilem; tum verò *orificium* ulceris deprehenſum à chirurgo fuiſſe *amplius*, ſed *nihil in eo duri*, *calculum* tamen, cum quæreretur ſedulò, in *caligis* tandem *fuiſſe inventum*, *ſponte* inter equitandum *delapſum*, & *fæcibus alvinis conſpurcatum*, ut affuſa calida ab illis fuerit purgandus. Antequam prodiret calculus, nihil fæculenti ex ulcere prodiiſſe fuit obſervatum; uti quidem ipſe demum immundus ita comparuit. Ab iſto autem tempore non quidem fæces ipſas, liquoris tamen fœtidi modicum inde fluxiſſe aliquandiu, modò plus modò minus participans de iſtis ſordibus.

Denique addebatur depoſitionem alvi eſſe liberam; & utut raró quid de obſtipatione & difficultate quadam ibi fuerit auditnm, nihilominus *hæmorrhoidale quid* ſe experiri non ſemel quæſitus, & quid hoc ſibi velit informatus, Prætor toties negavit. Et ex poſt facto quidem, dum hæ pagellæ præſtolantur occaſionem commodam, qua transmitti poſſint, refertur à chirurgo, *perinei illam aperturam*, excluſo peregrino iſto hoſpite, utut minus ſolicitè curatam, *ſponte tamen vel tandem fuiſſe occluſam*. Utrum conſtanter, dies docebit. Vir ipſe interim bene valet.

Quid ergò videtur: *Utrum* genitus aut concretus hîc infra, vel ab altioribus huc delatus hic modò hæſit ille quaſi calculus? *An* ipſe cauſa perruptionis, ulceris, fiſtulæ? *Vel* in fiſtula ipſi data occaſio hærendi, concreſcendi? uti diverticulum quoddam inteſtini p. n. ex *Ruyſchio* & *Morgagno* citatur in Eph. Cent. ult. Obſ. L. ab *Ill. Dn. Præſide.* *Tum*,

quæ

quæ prima veſiculæ dictæ cauſa? ſi nec hæmorrhois, nec morbus quisquam prægreſſus?

Incidit quod per modum appendicis locum habere poſſit, olim relatum à Nobili de ſe ipſo, ſano: Ab itinere paucarum horarum domum reverſo ſubitam acutamque infra intus in inteſtino recto veniſſe afflictionem, nec deſinentem, nec leniendam, ut ex urbe chirurgum properè vocari curarit; Hunc modeſtâ factâ dilatatione dextrè admodum & feliciter apprehendiſſe & extraxiſſe *oſſiculum* oblongum, acutum, transverſim hærens, quod à ſe in menſa incautè deglutitum ante aliquod tempus meminerit, & mirabundus transitum indemnem ad extremitatem usque obſervarit, donec male ibi neſcio quo caſu ita hæſerit.

(*Tubinga Auguſtam Vind. d.* 16. *Octobr. A.* 1719. *miſſæ.*)

# OBSERVATIO XC.

## Dn. D. Joannis Caſpari Grimmii.

## *Cephalalgia inveterata per decennium durans.*

MErcator quidam per aliquot annos laboravit cephalalgia peculiaribus ſymptomatibus ſtipata, nam dolor exquiſitiſſimus periodicè recurrit, præprimis ſi aër ſit undoſus, hîc medicamenta parum vel nihil efficiunt, ſed caput fortiter comprimendo & ſtrictiſſimè ligando æger levamen adipiſcitur, etiamſi decumbat in lecto ſat molli, tamen quaſi ſupra lapidem ſe jacere ipſi videtur, quo facto ſuperveniunt agrypnia, vomitus, lipothymiæ & deliria, & hoc durat interdum per XXIV. horas, & interdum etiam longius. Ante dimidium anni tanto impetu ingruit hic paroxyſmus (quod antea nunquam factum) ut per octiduum nihil nec eſculentorum nec potulentorum aſſumere potuerit, cum continuo ſudore

frigido. Cum autem omnia medicamenta & auxilia adhibita fuere incaſſum, ratus ſum ſubeſſe malum immedicabile, adeoque judicavi cauſam affectus hujus ſpasmodici inſignis non eſſe materiam diſſipabilem ſeu fluidam, ſed ſolidam ſtabulantem in ſinubus cerebri, ſiquidem ibidem materiam tophaceam ſeu gypſeam repertam fuiſſe, teſtantur Obſervationes fide digniſſimæ.

# OBSERVATIO XCI.

## Dn. D. Joannis Caſpari Grimmii.

## *Foraminulum in parte dextra ventriculi lapſu ex alto lethale.*

BApheus quidam ante ſedendecim annos ex alto cecidit in baphia in lignum (quod Germanicè vocant Mandel-Holtz) & hæc alliſio facta fuit circa coſtas ſpurias dextras, adeoque per octiduum lecto affixus fuit. Poſtea ſemper conqueſtus eſt de dolore lateris dextri modo minore, modo majore, & quia ſibi perſuaſit hujus doloris cauſam ſtabulare in ventriculo, ſemper à me popoſcit vomitorium, quod ipſi autem certis de cauſis denegavi, adeoque juſſit uxorem, ut vomitorium procuret ex pharmacopolio, quod etiam coactè accerſivit, quo aſſumto ἄνω καὶ κάτω ad lipothymiam usque operatur. Nihilominus tamen ſenſim atque ſenſim dolor punctorius in dicta parte ita accrevit, ut perpetua ſerie lecto affixus fuerit, poſtea varia ſymptomata ſuborta fuerunt, ſcilicet vomitus, febris lenta, agrypnia, cephalalgia & intumeſcentia abdominis, quæ indies adaucta poſt IV. hebdomadas mortem attulerunt. In ſectione abdominis in præſentia alterius Medici practici hujus loci, in parte dextra ventriculi, quæ ſubjacet epati, foraminulum rotundum in figura denarii, ex quo pedetentim ſeu guttatim contenta ventriculi in cavitatem abdominis effluxerunt, & ibidem excoriationem & corro-

corrosionem, tandemque gangrænam causabantur. Unde foraminulum istud ortum traxit, citra omne dubium causa fuit supra dictus lapsus ex alto, nam exinde, ubi scilicet allisio ad lignum facta est, conquassatio epatis & partis dextræ ventriculi subjacentis exorsa est, ex his partibus conquassatis enata fuit coalitio, scilicet particula ventriculi adnata fuit substantiæ epatis. Cum autem ex sumto vomitorio propter motum ventriculi inversum vehementiorem particula hujus adnata abrupta fuerit, natum inde est dictum foraminulum.

## *OBSERVATIO XCII.*

### Dn. D. Joannis Caspari Grimmii.

### *Puer 6. annorum hæmorrhoidibus fluentibus laborans.*

CAsum rarissimum esse laborare homines ætatis tenerioris hæmorrhoidibus apertis uno ore testatur schola Medicorum. Contigit sæpius, quod puer quidam annorum VI. laboraverit hoc fluxu, interim nulla adfuerunt symptomata, nam vegetus erat nullumque sensit dolorem. In hoc casu adhibui lacticinia cum terreis. Procul dubio hoc malum ortum traxit ex plethora & acrimonia sanguinis scorbutica.

## *OBSERVATIO XCIII.*

### Dn. D. Joannis Caspari Grimmii.

### *Phreneticus per potum copiosum cerevisiæ Wurzensis curatus.*

LAborabat quidam Mercator hujus loci famigeratissimus phrenitide cum insigni æstu febrili & deliriis enormioribus, ita ut vix tres viri ipsum domare valuerint, & cum sitis extinguibilis eum invaderet, intra trihorium quatuordecim

mensuras cerevisiæ Wurzensis epotavit, quo facto largus sudor insequebatur, calor sanguinis inflammatorius & deliria penitus cessabant, & ita paulo post reconvaluit. Procul dubio per potum hunc extraordinariè insvetum & vix auditum particulæ in massa sanguinea salino-sulphureæ inflammatæ fuere dilutæ, hincque cessavit phrenitis cum æstu febrili & deliriis.

# *OBSERVATIO XCIV.*

## Dn. D. Joannis Caspari Grimmii.

## *Puer 8. annorum ex esu H. Daturæ Garziæ seu Stramonii spinosi per XXIV. horas delirans.*

CUm uxor stannifabri cum suis filiolis hortum ingrederetur, ex his junior capsulam seminalem herbæ Daturæ abripiebat & semina in hac contenta edebat, paulo post circiter præterlapsis horis tribus incepit insanire & saltando, gesticulando, cachinnando & cantando delirare. Cui malo resistendo propinandum adhibui lac tepidum cum theriaca Andromachi, quo facto paulo post subsecutus est sudor largior per totum corpus & somnus per 24. horas, postea hic paroxysmus plenariè cessavit.

*Nota.*

Hæc herba Græcè vocatur παρακάκκαλον, Latinè pomum spinosum, nux metella, hyoscyamus de Peru, Hippomanes, nux methel Avicennæ & Datura Turcarum, olim ad nostras regiones transportata est ex India Orientali, adeoque in plerisque hortis Germaniæ invenitur, habetque capsulam seminalem spinosam, & in hac tria interstitia, semina intus contenta sunt alba, in maturitate autem nigricantia.

Nunquam internè adhiberi debet, nam habet vim insaniendi, unde ingreditur Turcarum Maslach, imo si in majori quan-

quantitate assumatur possidet vim necandi. Si autem aliquis his seminibus usus fuisset, statim assumat haustum cerevisiæ calidæ cum butyro mixtum, item ꝏ amygd. dulc. cum Bol. Armen. seu ∀ Sigill. in vehiculo conveniente, pro odoratu convenit acetum rutaceum cum Ess. Castor. mixtum.

# *OBSERVATIO XCV.*

## Dn. D. Joannis Caspari Grimmii.

## *Mictus cruentus in puero.*

PUer cujusdam Pharmacopæi XI. annorum, cum præscriberentur & ad scatulam darentur morsuli ad coitum Mynsichti, surripuit de his clanculum aliquid & comedit, quo facto post bihorium subsecutus est mictus cruentus enormior, imo per urinam frustulum sanguinis in magnitudine pollicis instar molæ excrevit. Post adhibita medicamenta ex lacte, ꝏ amygd. dulc. & emulsione sem. 4. frig. major. per biduum reconvaluit. Quia, uti notum, morsulis ad coitum Mynsichti admiscetur aliquid de cantharidibus, quæ insignem habent vim corrodendi, & ejusmodi effectum in tali corpore tenello vesicæ urinariæ corrosivum produxerunt.

(*Lipsia Augustam Vind. d. 3. Nov. A.* 1719. *missæ.*)

# *OBSERVATIO XCVI.*

## Dn. D. Eliæ Camerarii.

## *Machinarum atque Enchiresium simpliciorum in luxationibus præstantia.*

SEdecim annorum Juvenis ex agro cum Patre redux, equoque vectus, hoc subito perterrito atque aufugiente ferociter, excutitur, hæretque altero pede in appensis ephippio funibus, trahitur, rapiturque infelix puer capite terræ alliso per longis-

longiſſimos pagi vicos, trabibus ſtratos, queis miſerum caput numeroſis allıditur ictibus, equo per interſtitium duarum columnarum impetuosè transeunte, corpuſculum infelix miſerrimè quaſſatur, laceraturque, donec tandem duas inter ædes redactus in anguſtias furens, trahensque miſerum equus ab audaci Virgine detinetur ſubito, liberatúrq; ſemimortuus juvenis à laqueo, cui implicitus pede hactenus triſti fato firmiter hæſerat. Æger ſine ſenſu motuque decumbens vix ulla vitæ dabat indicia, omnia capitis integumenta ex occipite dependebant à cranio avulſa latiſſimè, lutoque ac ſtercore repleto intervallo, quæ quidem mox lota vini ſpiritu aptabantur in ſitum priſtinum, raſumque eſt caput, & fomenta ipſi adhibita ex arte; magnum ſub inferiori maxilla vulnus hiabat ampliſſimè, maxilla utrinque confracta, cui proſpectum pariter fuit. Apparuit dehinc luxatum genu, extenſo igitur ut par erat pede, repoſita ſunt mox iſta oſſa. Mortui inſtar cubabat æger, truncumque referebat; altera autem die Chirurgus denuò omnem corporis ambitum accuratius perveſtigans luxatum quoque introrſum deprehendit femur, rogat parens ut & hujus repoſitioni daretur opera, promptius autem alacriusque omnia iſta licebat exequi, cum ſemianimis æger nihil eorum quæ cum ipſo agebantur perſentiſceret, deerant Chirurgo inſtrumenta ac trochlearum combinationes, juſſit hinc in terra extendi juvenem, pluribusque adhibitis apteque collocatis robuſtioribus viris extendi pedem curavit æquabiliter, tumq; ſubitò ac dexteritate agili longiore cylindro ligneo linteis obvoluto, & manu utraque prehenſo femoris oſſi fortiter tanquam plano inclinato admoto caput ejus cum vigore verſus acetabulum ſuum urgere cepit, quod illicò non ſine ſtrepitu ſonoque extantiore in cavitatem ſuam irruit, repoſitumque eſt feliciter; ægro quaſi mortuo omnium ignaro eoque magis tractabili. Tardius proceſſit tot malorum ſanatio, quintaque demum ſeptimana adſtantes cepit iterum agnoſcere, (tanta ſpirituum confuſio, cerebrique concuſſio fuerat) reme-

diis

diis tamen cephalicis, nervinis, bezoardicis, nitrosis, vulnerariisque internis atque externis strenuè res acta est, ut plenè restitueretur prodeuntibus ex vulnere maxillæ ossiculis pluribus cariosis, quanquam & hoc tandem penitus occluso, juveneque ad plenum corporis vigorem feliciter redeunte. Eadem simpliciore methodo (ex plani inclinati vectisque ratione combinata) opem sensit sub idem ferè tempus præfectus quidam, cui thoracem versus humeri caput exciderat, hunc frustra variis distractum linteis, methodisque, frustra etiam portabilibus, quod solent admotum scalis, in terra tandem reposuit Chirurgus, talo dextri pedis prolapso capiti admoto (brachio autem fortiter, juvantibus fulcientibusque ipsum aliis robustioribus viris extenso) illoque sic ad oras acetabuli sui promoto, detentoque sic brachio, donec eodem linteis obvoluto cylindro æquabiliter urgente non sine sonitu manifesto suam in cavitatem resiliret humeri caput, redeunte mox brachii motu, doloribusque mitioribus redditis. Neque verò potuit eadem gaudere fortuna miles paulo post brachium offerens luxatum, atque à Chirurgo dudum neglectum, cum repositum tamen primum judicaretur, nec poterat verò misellus manu pileum capiti impositum attingere, varia hinc à variis tentata sunt Chirurgis, violenta etiam methodo, si qua ratione humeri illud caput repelli in sedem suam posset, sed obstitit pertinaciter occallescentia & intervalli diuturnitas, re igitur pro desperata ab iis habita, ne quid relinqueretur intentatum, emollientibus fovebatur diutius pars affecta, tum verò Chirurgi septem robustiores & linteis admotis extendebant brachium, & sextuplicata quoque adhibita trochlea, nec licuit tamen vel hilum proficere in mutando capitis prolapsi situ, donec tandem repetita extensione, ejusdem Cylindri memorati tentaretur quoque applicatio violentior, quæ tamen firmatam jam pertinacius in loco peregrino ossis summitatem in sedem pristinam propellere plenius haud valuit, tantum tamen effecit, ut posset manu iterum attingere caput

pileumque, quod antea haud poterat, & sic aliquem saltem hinc fructum vel tantillo lætior successu ferret, exuendus alias militis officio homo misellus vitæ huic generi dudum addictus, aliarumque artium expers.

# OBSERVATIO XCVII.
## Dn. D. Eliæ Camerarii.
## *Mictus cruenti largissimi cum ani fistula inveterata combinatio.*

TExtor annorum nunc circiter triginta, septennio ferè abhinc propè sphincterem intestini recti abscessum passus est admodum dolorificum, qui apertus intra octiduum coaluisse videbatur, brevi tamen post infidum recruduit malum, ac largam stillavit saniem, accessit sensim sensimque dolor ossis sacri enormis atque adeo aucta est sensim effusio saniei, ut totus contabesceret inter continuos dolores, substrataque ipsi lintea putrescerent, morbo in pejus continuò ruente, adeò, ut triennio integro ab opificii sui laboribus ob debilitatem abstinere fuerit coactus, remediis tamen ipsi exhibitis vulnerariis ac mundificantibus, febri simul quæ obrepserat, lenta haud neglecta, id tandem effectum est commendata adeò in prudentiorum Medicorum praxi expectatione commoda, ut sectione, quam respuerat constanter ægrotus, neglecta, desineret tamen largissimus ille saniei fluxus, ægerque viribus quodammodo biennio abhinc restitueretur, ita quidem efficaciter, ut licet attollere onera gravia durosve subire labores haud valeat nec frigoris ferat inclementiam, suis tamen laboribus præesse in hypocausto commode sufficienterque valeat, ulcere hactenus minutissimo saltem foramine hiante, ac parcius effundente saniem subinde flavam ac tenuiorem, quam exilem, si præcedentia graviora spectes, molestiam lubentissimè sustinet. Hujus verò anni 1719. 28. Aug. die in

vinea sua decerpturus ex arbore pruna sensit lapidem summum lapideorum queis insistebat graduum sub pedibus abscedere, simulque in præceps cum lapidibus illis decem ferè pedum altitudine decidens, sinistrum latus ex vi lapidi allidit succumbenti, ut ille frangeretur, correptus deliquio jacuit diu, donec ad se rediens reperet magis quam rediret ambulando in viam, quæ ducit in urbem, ubi repertus à custode vinearum domum inter deliquia & dolores immanes deducitur ac quasi portatur. Cum verò ad sensuum usum in vinea rediisset, mox inter dolores gravissimos urgente onere vesicæ emisit ter magnam sinceri sanguinis vim per urethram, cumque & domi in lectulum esset repositus, urinæ cruentæ largissimæ profluvium haud cessavit, secta vena, inunctoque vini spiritu corpore, sinistroque cumprimis summè dolenti latere immobilis jacuit, metuens sibi à minutissima etiam corporis motitatione, data verò sunt remedia congrua, pulvis sedulò exhibitus ex pulv. pannon. rubr. ocul. cancr. antimon. diaphor. rad. alth. bol. armen. nitr. in aq. malv. cum syr. de jujub. frequentissimè hauriendum præcipiebatur theeforme infusum ex salvia & veronica, decoctum ordinarium cum chærefolio coctum hauriebat, hæcque planta largiter incocta jusculis eodem serviebat scopo: externè inunctiones spiritu vini ita factæ, ut ille & infunderetur & circumfunderetur emplastro quod toti lateri imposuerat Chirurgus. Ita urina cruenta quidem aliquot adhuc diebus prodiit, sed quantitate admixti cruoris sensim imminuta, donec die septimo flavescere iterum ac naturali statui inciperet appropinquare ægerque motu sensim ac sensim reddito liberiore sub ista dolorum successiva cessatione ac evanescentia commodius jam in hypocausto iterum obambularet, & si adhuc admodum lassus ac debilis, id tamen inter dolores suos ac cruciatus probè advertit, fistulam suam ani hos intra dies nec ullam ipsi peperisse molestiam, nec dolores accessisse in osse sacro, nec quidquam per hoc tempus effluxisse inde saniei, cujus alias stillatio nunquam penitus cessare solet.

# OBSERVATIO XCVIII.

## Dn. D. Eliæ Camerarii.

### *Asthma orthopnoicum in opisthotonum spasmosque terribiles non sine fascini suspicione transiens.*

NIhil hodiè delicatum magis, aut paradoxo propius quam fascini in Historiis Medicorum facere mentionem, cum plurimi confidenter adeò omnes à fascino morbos promiscuè videantur proscribere, aut si mavis ridere; & si verò non semel ab eorum recesserim opinione, ubi manifesta rei suppetebant judicia, in casu nihilominus heic subjungendo nihil determinare ausim, res enim non liquet, nec incertas amo conjecturas. Puer annorum duodecim, sæpe quondam cephalalgia tentatus, pallidiusculus, diuque torpidus, adeò ut narium optaret hæmorrhagiam, qua levandum sibi caput credidit, lassusque incederet, subitò amisit loquelæ claritatem, deglutitionem sensit cohibitam, cœpit respirare difficulter, ac cum sono, ita ut paucas intra horas orthopnœa corriperetur intensa; accessere terrores in somno gravissimi, & si inter dormiendum halitus esset prorsus liber; appetitus non omninò cessaverat, pulsus post aliquot dies fit intermittens, cumque ista omnia spasmodicum statum, nervosque ostenderent irritatos, vesicæ in brachiis surisque successivè quatuor excitatæ sunt, fermentum plantis pedum admotum; sensim sensimque mutantur paroxysmi, non merè jam asthmatici, sed & delirium junctum adsciscentes, dolere cepit brachium, cui simul videbatur imminere paralysis, queritur videri sibi acsi ex lecto projiceretur, colligitque turbatus lecti tegumenta, jacet quasi in deliquio subinde, vel si mavis interna convulsione, clausis oculis, subinde se tamen aperientibus, sed corneis, tota dein nocte dormivit, respiratque tum facilè, urina tenui, antea muco tenuiore imbuta. Exhibita fuit mixtura cum Gummi ammoniaco, pilulæ

lulæ ex eodem gummi, extr. enul. caftor. cinnab. nat. decoctum pectorale, thée fpecificum &c. ung. pectoral. & nervin. 30. Jan. (ann. 1719.) quatuor fuftinuit paroxyfmos, immotus tum placidusque, quafi dormiens, altius refpirans, pollices comprimens, claufis oculis; finito paroxyfmo refpiratio non amplius fonora fuit, friguit in paroxyfmo, fudoreque frigido perfundebatur, dolente adhuc brachio, trementeque, & quafi immobili: Sequenti die pedibus non amplius infiftit, iis quafi refolutis, increfcunt paroxyfmi, lecto conatur egredi, mutat perversè fitum, omnium poftea ignarus. Jamque ab initio morbi nullam vocem emifit clariorem, aure loquentis ori admovenda, fiquidem animi ejus fenfa parentes fcire vellent; dormiens facillimè refpirat, tum fubitò cœpit attolli abdomen capite pedibusque lecto innitentibus opiftotoni in formam, ut vel duo fimul Viri fub illius corpore potuiffent rependo tranfire, cum paulo ante rigiditate directa tetanum obtuliffet triftibus parentum oculis, pollice curvato vix ulla vi extrahendo, tenuis tum urina erat, quæ biduo antea fedimentum obtulerat. 1. Febr. plusquam triginta una nocte paroxyfmi eandem exhibuere triftiffimam fcenam, fatis in intervallis valet: dormivit poftea octo horis continuis, fpuma ex ore agitur in paroxyfmo, qui increfcunt adhuc, ut Viris opus fit robuftis pluribus, qui corporis capitisque impediant allifiones violentas, fpafmodici motus variant, nunc rigidus infurgit, nunc in arcum contrahitur globumque quafi format. Frequentiffimi 3. Febr. paroxyfmi, in intervallo multa de monte confcendendo memorat, bonam noctem quatuor peffimi dies fequuntur, nunc agitantur membra, nunc tetanus confpicitur, ægro mox pedibus, mox eodem momento capiti infiftente, mox in arcum curvato ac formante opifthotonum, gyris celerrimis, ea & violentia & pertinacia, ut feptem gyros capite in lectum fixo elatis protenfisque in aërem pedibus trochi inftar una ferie efficeret abfolveretque, ac duravit hoc malum ea frequentia & violentia, ut totum calcitrando lectum laceraret, ufuique ul-

teriori redderet ineptum. Ab eo tempore remedia aversatus est, donec tandem post fumigationes quasdam uterentur emetico fortissimo, postea atroces paroxysmi tandem cessarunt, alii verò successere tremoribus manuum præcipuè conspicui. Iterum tamen sub Martii finem Lunæq; quadraturam paroxysmo mentis usum auferente tentatus est, subsequa tali oblivione, ut mentis quoque compos omnium oblivisceretur qui ipsum paulò ante inviserant. Circa illa tempora subito voci claritas rediit, ut sonora illa magis quam ante morbum fieret; dehinc rectè satis valuit donec binis ante ascens. Fest. diebus sibi persuaderet aliquem sibi violenter detraxisse tegumentum lecti, ac manum aliquam sibi compressisse oculos, quod eò magis parentes terruit, cum in ipso morbi principio aliquam fascini suspicionem parentes in feminam quandam conjecissent, Materque ejus, femina & prudens & honesta, cum altera die lectum petens, vigilans, oransque clara voce, sentiret in utroque se brachio duabus quasi manibus violenter tangi ac constringi, indeque præ terrore exclamaret, manè in quovis brachio conspiceret quatuor impressorum digitorum eo in loco maculas coerulescentes durantes, at sine dolore, per septimanas quinque; horum verò quicquid sit, puer eodem mane tremens lectum cogitur petere, alteraque die epilepticis motibus terribili vi corripitur, recurrentibus ultra triginta vices eadem die, capite miserrimè allisione contuso, actaque hæc fabula per hebdomadem integram; iterum dehinc usus est emetico violento, ac tandem restituitur, hactenusque, anno ad finem jam vergente sat benè valet.

# OBSERVATIO XCIX.

## Dn. D. Eliæ Camerarii.

## *Deliriorum ac Spasmorum internorum singularis combinatio.*

VIr Juvenis viginti & quod excedit annorum per scalas ascendens, cum jam summum attigisset earum gradum, nescio

qu

qua pedis in togam prælongam involutione præcipiti retrorſum devolvitur lapſu, caputque graviter ſatis æquè ac totum corpus allidit; delatus in hypocauſtum, variisque excitantibus à deliquio diuturno refocillatur, moleſtè quidem noctem ſed ſine magnis tamen ſymptomatibus transegit, cum verò horis matutinis graviora minari videretur tam præceps ac violentus lapſus, Chirurgus vocatus abraſis capillis capitis omnem ambitum probè examinans nihil læſionis manifeſtæ, aut inſignis potuit deprehendere, redire potius videbantur diſſipatæ quaſi tanto & terrore & lapſus impetu vires; ſed cum in vado eſſe viderentur res ægri, incepere tamen veſperi primæ poſt lapſum diei obſervari ſymptomata graviora, quæ cum ad decimum jam usque, per vices affligant diem non deſinunt eſſe ſuſpecta, licet in intervallis æger ſatis ſit alacris, extra lectum degat, atque appetitu non deſtituatur; ſunt verò ſuſpecta illa mala, ſingulares quædam vel deliquiorum vel deliriorum ſpecies, quæ ipſum cum è ſomno evigilat potiſſimum corripiunt, ita ut ſentiat etiam appropinquans malum, moneatque adſtantes de balſamo naribus ſuis citò admovendo, cum deliquium (vel ſi mavis internæ convulſiones) inſtet. Præſcripſerat Medicus primò vocatus convenientia probataque remedia, juſſi, cum & meum de ancipiti malo peteretur judicium, ſimilia iſtis, atque alia quædam adhibere remedia nervina, ex Liq. C. C. ſuccinat. pulv. epil. mirab. Mynſ. Pannonic. rubr. nitr. caſtoreatis &c. admixto largius, urina monente, cortice peruviano; remiſere hinc paroxyſmi, quos & cohibere poterat aut retardare ſomno reſiſtendo. Poſt tertiam à lapſu ſeptimanam, acceſſibus iſtis per dies complures ceſſantibus, huc rheda vectus rediit, lipothymia in itinere correptus, unde exacerbata omnia, unaque die paroxyſmos tres ſuſtinuit, trium quemvis horarum, qui deliquium adeò non referebant, ut potius maxima actionum varietate hactenus luſerint ſatis ſeriarum, loquebatur concinne de rebus Theologicis (quaſi qui in ſomno loqueretur, recitat ſubinde verſus ex Triſtibus Ovidii, jubet cantare,

tare, & certas quidem aptasque cantiones, cantat cum adſtantibus, loquitur verò & multa de certo centenariorum ſibi incumbentium pondere, quorum aliqui jam à corpore ſuo ſint devoluti, reſpiciens forte in iſtis phantaſiæ turbis criticorum numerum dierum, qui ipſi à Chirurgo in malo tam ſuſpecto fuerat tanquam attentione dignus commendatus, paucis multa ac mirabilia agit, ac loquitur, videturque agnoſcere adſtantes tactu, adeò ut nodos tunicarum tangendo, manus marſupiis immittendo, indeque varia extrahendo ac contrectando diſtingueret ſuos, cumque in tali paroxyſmo diu manus exereret, quærens aliquid, omnesque obvios repelleret, incepere offerre ipſi ex numeroſa bibliotheca libros, quos omnes, cujuscunque etiam fuerint formæ, tangendo agnovit, nominavitque, reddens eos; tandem juſſit Medicus adſtans (non clauſos ſolum oculos ægri, ſed & capitis tegumento obtectos conſtanter hactenus videns, audiensque per horæ ſpatium Græca & Hebræa etſi non connexa oraculi velut in modum patheticè prolata) adſtantem virginem, ægro chariorem, offerre poſt alios repulſos manum ſuam; illam verò, tangendo, reperto tandem in digito auriculari annulo, retinuit parum & acquievit, lento dehinc gradu mentis compos redditus, ſenſibusque reſtitutus, in quovis enim paroxyſmi fine ſenſim ad ſe rediit, poſt horæ, imò longius, hunc brevius intervallum, omnium à ſe geſtorum æquè ignarus ac ſi dormiviſſet, quorum quidem paroxyſmorum ingens fuit numerus; poterat tamen & illos cohibere aut differre eorum acceſſionem, impediendo ſomnum, eique reſiſtendo, ſemper enim adoriebantur evigilantem. Prioribus verò remediis nervinis ac cortice potisſimum paucos intra dies fuit reſtitutus, homo cætera hypochondriacus inſignis, affectuum vehementia, ira potisſimum ac amore vehementer agitatus.

*(Tubinga Auguſtam Vind. d. 12. Novembr. A. 1719. miſſæ.)*

OBSER-

# *OBSERVATIO C.*

## Dn. D. Sylv. Samuelis Anhornii de Hartwiſs.

## *De Ventribus monſtroſis, Conceptione Tubaria & extraordinaria Hydropis ſpecie.*

I. PLures ab annis compluribus, medicam manum ſolicitârunt & Juniores, & quæ ætatem attigerunt, quâ ſolenne fœminis tributum expendi parcius & minus regulariter conſuevit, quibus ceu Utero ferentibus venter ſenſim extumuit, varium fuit quod variæ fatum expertæ ſunt. Plurimæ mali increſcentis mole, tabidæ tandem occubuerunt. Id prodigii obtigit Curſoris noſtri publici Glintzii fœminæ, tricenariæ, quæ per plures annos prægrandi ventris ſarcinâ, ſibi & aliis terrori exiſtens, ex alliſo vehemente in terram lapidibus ſtratam abdomine, mox enormi quantitate urinæ profusâ, omni tam pedum quàm ventris tumore liberata, hucusque incolumis vivit.

II. Plurimum analogiæ cum recenſito caſu habuiſſe tumorem quem Ampliſs. Dni. Conſulis noſtri Nepos, Juvenis 17. annorum ſesquianni tempore nutrivit, qui poſtquam ex Arthritide vagâ toto corpore ſubtumidus, pluries Anaſarcâ, per lotii quantitatem redditam curatus, tandem ventris Sarcinâ accreſcente pro Aſcitico habitus, ad medicamenta verò nauſeans, diu ſibi relictus eſt, extuberante ſenſim, & lymphâ pellucente umbilico, cùm ad pugni altitudinem aſcendiſſet, ſimplex cuticulæ pertuſio propoſita eſt, quam formiduloſus Patiens declinavit tamdiu, donec umbilicus ſuâ ſponte ruptus, unâ & perpetuâ ſe undâ exonerans, ſeri menſuras circiter quindecim, ſine virium diſpendio profudiſſet, exhinc collapſo ventre, parum ultra eductum eſt, impoſitis per intervalla fomentis, largius urina profluxit, & brevi ſanato vulnere pro opificio addiſcendo ad Magiſtrum reverſus indies firmiore talo incedere viſus eſt, poſt menſium duorum decurſum ſpiritus difficilior redditus

eſt, & novi ſtagminis ſeroſi indicia, denuo illum lecto addixêre, tumor ventris increvit, & turgens in exſtante umbilico aquarum copia, diffractis rurſum foribus, cum impetu foràs erupit, & integram ſitulam ut prius, ſero obſcurè flavo explevit, curatus iterum, tertiùm extumuit, extabuit ſimul, & profuſo ſimiliter latice fatis ceſſit.

Cadaver ſectione luſtratum nihil ſeri in abdomine continuit, cutis cum carne muſculoſa ad inguina præſertim ceu folle inflata mediantibus veſiculis ſero madentibus cohærebat, inter duplicaturam Peritonæi aliquid ſeri, vix Libram excedentis delituit. Peritonæi facies interna pluribus tubulis lymphaticis ceu nodulis glanduloſis, limpidam presſi plorantibus, conſitum fuit, & fidem indubiam fecit, ex hoc fonte prodiiſſe depluvium, quod graviore onuſtum depoſito onere per vices novo ſtagmine collectum ſit, inteſtina bene ſana comparuerunt, hepar plures corruptionis notas habuit, & magnitudine excedens, palleſcens, & digitis preſſum in amurcam diſſolubile; pulmones dextri lateris corrupti fuerunt, & Pericardium ne guttulam ſeri continuit.

III. Honeſta Civis Machæropoei Locheri uxor, à ſuppresſis Catameniis 50. ætatis ſuæ anno, præter quod ventre ſenſim turgidior, nihil moleſtiæ ſentiens, & exin ſe gravidam indubiè autumans, ex quo motum infantis nullum percepit & ſuâ ſe ſpe deluſam vidit, auxilia ubi potuit quæſivit, nihil fuit quo diminui ventris moles poterat, urina aſſumptis & quantitate & qualitate reſpondit, pedes omnis tumoris expertes, reſpiratio liberrima, nec coloris faciei nec virium defectus notabatur, licet ſtupendum tuberis pondus ſecum ubique geſtaret, at viribus prævaluit morbus, marceſcebat caro muſculoſa, venter rimas egit, & tantus illum dolor torſit, ut apertionem abdominis multâ prece ſolicitârit, dum verò affectus non tam Aſcitidis quàm tumoris Tubarii facie compareret, ex ſimplici Paracenteſi haud quid auxilii ſponderi poterat. Tubæ ſectionis ope evacuationem reformidabat. Paracenteſin aſciticis quan-

doque

doque cum solamine administratam expetiit, id datum est precibus, simplicem abdominis cum lanceola pertusionem tentatam, tantumque lotii quantum ad sublevandam onere satis visum fuerit, per intervalla extractum iri; junctâ Prognosi, sic quidem levamentum ad plusculos dies, ne minimam verò restitutionis spem concipiendam esse, in omnem eventum paratissima admaturari auxilium cupivit, gratificatum est, & per Chirurgum Zollicofferum extractæ sunt mane & vesperi seri flavescentis libræ circiter sex, multùm ab Ægra deprædicato levamine, è vulnere tamen utcunque solerter munito, non minus per noctem profusum, ac binis deligationibus emissum fuit, mane ab extractâ turundâ, liquor turbidus subcruentus magnâ vi prosiliit, tertio die verum turbamentum Tubarium verè cadaverosum tanto impetu per repetitas explosiones excretum est, ut vel minutæ spatio patina duarum mensurarum adimpleretur, exhinc retineri nullâ potuit arte, quin & adposita linteamina & lectum oppidò cum fœtore intollerabili madescerent, ex quâvis detractione major notatus est impetus, & ceu ex vase bene obturato musti fermentantis explosiva proruptio, quantumcunq; autem colliquamenti fœcum vini æmuli & mephitim spirantis detraheretur, ne minimùm diminutus, auctus potius est ventris tumor, interea vires elanguêre, febris, delirium, spasmus accessit, & sexto die Fati legem subiit, pedor non stomacho ferendus, fateor, cadaveris lustrationem prohibuit.

Plures insuper præcipuarum urbis Familiarum similiter affectæ occubuêre, calamitatis nostræ particeps factus est Dn. Præses, Magnif. Dn. Lucas Schröckius, suis nos consiliis quandoque beavit, infaustus fuit omnis conatus in Tubis collectam colluviem, per solita primarum viarum excernicula, evacuandi, ut mirum non sit elusisse hactenus & elusurum in posterum fore, hosce solertissimorum Medicorum conatus Pharmacis inexpugnabilem morbum, his stimulis motus decrevi, quâ primâ licitum fuerit occasione, per profundam in Tubæ cavum penetrantem incisionem, aut simul evacuare coacervata liquamina,

aut injecto ad fundum vinculo tubæ basin constringere, & cultro resectum folliculum extrahere, id instituti minùs displicuisse Dno Præsidi, in suis 19. Junii 1698. ad me datis sequentibus testatum dedit: *Quæ de Hydrope saccato refers si per sectionem aliquando curam experiri daretur, res esset memoratu digna, nec de felici eventu prorsus desperandum, modò serum non pluribus inclusum vesiculis irritam reddat curationem, qualis in ægrota à me Ephem. N. C. Dec. 2. ann. 8. observ. 233. memoratus fuit, in quo equidem si non plures, duas tamen minimùm adesse vesicas, tactu explorare potueram, & adstantibus indicaveram*; aculeos hæc mihi addidêre, rem quâ datâ occasione experiundi.

IV. Anno 1713. verè Venerabilis senis, Excellentiss. Dni. Adriani Ziegleri, Med. Doct. in Abbatiscellensium pago primario Celeberrimi, Lectissima Filia, postquam in primo thoro plures abortus, septimo mense singulos, passa esset, ex secundo matrimonio filium stato tempore peperit sanum, hucusque superstitem, in puerperio parum fluxisse lochia advertit, venter turgidior mansit, magis insuper elatus, postquam è puerperio egressa est, detumescentiam exspectavit ex Mensium fluxu, qui promotus est obviis primùm, dein fortioribus Emenagogis, adhibito Optimi Dni. Parentis, Fratris, & ex sorore Nepotis, Celeberrimorum Medicorum consilio, nihil conquisita quæcunque auxilia ad sublevandam onere valuêre, ego postremum vocatus, tumorem saccatum, non nisi profundâ incisione, & collecti ex foetu corrupto liquaminis evacuatione auferendum, persuadere conatus sum mœstissimo Parenti, per Nobiliss. Nepotem, Dn. Doct. Grabium, Medicum eximium, & maximè sagacem, argumentum suppeditârunt auctoritas Dni. Præsidis & stimuli Excellentiss. Dni. Doct. Pfisteri Schaffhusiensis Medici & Chirurgi exercitatissimi, qui ut non inani ratiocinio sed experimentis suffultum demonstratum daret propositum, epistolam Cypriani Med. & Profess. Anat. & Chirurg. in Academ. Franeq. Publ. quam ad Ampliss. Thomam Millington

Medi-

Medicum Regium Londinensem de Fœtu post XXI. menses ex uteri Tuba matre salvâ & superstite exciso, amice communicavit, ubi Vir Clariss. p. m. 42. & seqq. casum addit nostris, quas recensuimus & dabimus ultrà, planè consimilem, nobis quantum animi fuit tantum luminis subministravit prolixior materiæ in hoc Schediasmate diductio, ut commendare totis viribus, incertum in casu desperato medendi genus haud destiterim; ut verò Celeberrimo Medicorum Tigurinorum Collegio ad deliberandum tradita res est, hanc procedendi viam abhorruisse visi, Curam per simplicem abdominis pertusionem, & alluviei per canaliculum amplioris meatûs in hunc finem fabricati, ab Excellentiss. Dn. Doct. Lavatero cum successu in usum vocati, eductionem commendârunt. Dum decertata inter nos res est, Chirurgus paganus accessit, certam ex Paracentesi restitutionem adductis recentibus sic curatarum exemplis, promittens, pollicitationibus fidens aures præbuit garrulo, & inscio Venerabili Dno. Parente & Excell. D. D. Grabio, qui curam ipsius per multa cum Viris Celeberrimis colloquia, usque impigram gessit, curam tantoperè jactitatam admisit, & felici, ut speravit omine tentatam, suis denuntiari curavit, detracto primis diebus fluidiore sero, successit turbida, fœculenta viscidior mistura, quæ difficulter ex vulnere strictiore prodiens, digitis quandoque extrahi debuit, sic plures hebdomadas pacatius ac speratum est, egit, donec diminuto effluvio, & crassiore turbamento intus computrescente, lentâ tabe cum aphtis faucium quâvis arte inexpugnabilibus, tertio mense post factam ventris perforationem, consumeretur, ut autem pridem solicitata cadaveris lustratio, hæc quæ ratione magis quàm experimentis probata, hactenus constitêre, detegisset plenissimè; ob distantiam tamen plurium horarum; obitus non prius ac post sepulturam mihi innotuit.

Non tulit hic casus, qui ut desisteretur proposito absterruisse posset, imò magis calcar admovit, operationem quam Clariss. Cyprianus proposuit aliquando experiri, hanc etenim

in defuncta noſtra dextrè inſtitutam, quin feliciter ſucceſſura fuiſſet, nec ſupra laudatus Excell. D. D. Grabius diſſenſit.

V. Pauco abhinc tempore alia conſimili affectu laborans ſe mihi curanda obtulit, honeſta Paſtoris Abbatiscellani uxor Barbara Hausammin 26. annos nata, quæ ex ſecundo puerperio ventrem geſtabat quaſi denuò parturiens, dum probe lactâſſet parum de hoc ſolicita, ablactato infante, menſibus ſtimulandis, ceu quod purgamenti uterini poſt puerperium ſubſtiterit expurgandi intenta fuit, licet Menſes ſuis periodis haud ſegnius redderet, aucta nihilominus eſt abdominis moles, & in eam altitudinem excrevit, ut ſuperato partûs exſpectato tempore, monſtri quid ali haud obſcurè compareret; itum eſt ad Obſtetrices, Agyrtas, Carnifices, Circum foraneos & quamcunque infamem medendo plebeculam. Solatium ex ampullis & ſesquipedalibus promisſis tantum quandoque fuit, ut ex Draſticis utraque viâ vel animam ejicientibus, ſe plurimùm ſublevatam crederet, ad me delatus rumor eſt; quàm ſtupendi tumoris non minùs admirabilis Curæ ſucceſſus in hac muliere, quæ in urbe ad Arborem Felicem juxta lacum Bodamicum ſitâ Chirurgi cujusdam Dni. Benſel ex Suevia hebdomadatim accedentis operâ utebatur, dum ego in ædes Mercaturâ longè latéque Celebratisſimi Dni. Albrechti b. m. vocatus medicabar, viſendi cupidine motus oſtenti, dum mecum deliberarem, accerſitum me audio, & en! ventris emplaſtris undique muniti verè monſtroſi, curam omnem in ampla promiſſorum ſpe hactenus hæſiſſe & ne minimam fauſti ſucceſsûs notam adfuiſſe, quin deteriora indies exſpectanda eſſe, non fuit quod non perſuaſum me redderet; annus elabitur & vix cutis osſibus hæret, accedit ad me cum marito ſolicitus Pater curam quam vel nuncupato ſectionis nomine Patiens abhorruit, jam ejusdem nomine inſtanter expetunt. S. Gallum deportari curatum & promiſſum eſt quicquid per vires liceret tentatum iri, miſeranda facie tabe propemodum confecta, ſolâ ventris ſarcinâ turgens incesſit, ſpiritus minus difficilis erat, non tusſis adfuit,

fuit, nec pedum tumor notatus est, precibus institit suâ ærumnâ quocunque id fieri modo possit, liberari, parata sunt quæ ad secandum cum Tuba abdomen ex methodo Cypriana requiri videbantur, dies operationi dictus est Aprilis 1714. solertissimus quem habemus Chirurgicarum operationum gnarum, Urbis Tribunus Dn. Sylvester Hiller, incisionem sub umbilici latere sinistro, profunde adacto cultello perfecit, vix mediæ longitudinem palmæ progressus, dum ceu undans fretum lympham plenâ undâ extruderet, destitit ultrà secando, ventris ut ajebat elatere deficiente, vel metu potius, ne inter operandum Patiens periret, limpida primùm lympha, mox turbidior cruenta prodiit mensurarum circiter decem, vix potuit fluctibus moles opponi, per quævis munimina juxta turundam ichor penetravit, sub vesperam emissum est materiæ crassæ feculentæ mucaginosæ quantum prodiit; venter exin collapsus sacculis herbarum aromatico-balsamicarum in vino & aquâ coctis, per bihoria repetitis, fuit munitus, singulis deligationibus quicquid fuit colliquamenti ichorosi evacuatum est, interdum vix libræ sexta pars obtineri potuit, & sequentis hebdomadæ diebus ad ℥ß. diminuta est, fœtens aliquantum at gangrænosi seu sphacelati nihil spirans, interim ægra ex primis diebus notabiliter elanguit, sitiit, febricitavit, noctes insomnes egit, & quæcunque suspecti eventûs signa de se dedit, quæ singula timidiùs peractæ operationis effectus fuêre, sectione etenim prolixiore si pro hypothesi Cypriana, restagnanti in Tuba succo nutritio & fœtûs in colliquamentum resoluti reliquiis, simul exitus concessus & in Tuba restitantes quisquiliæ spongia extersæ fuissent, plurimum hoc minus dextræ operationis periculum caveri potuisset. Interim Ægra refici analepticis opus habuit, fervor febrilis contemperatus è Misturâ aquarum cum præcipitantibus, antepilepticis & mixtura simpl. paratâ, nec non haustu ex herbis traumaticis m. & v. exhibito, & potu ex decocto CC. rad. chin. & passul. pro lubitu concesso, simul ac cepit corpus modico madore perfundi, virium incrementum

cum

cum ſymptomatum remiſſione perceptum eſt. Curâ ad ſecundi menſis finem prætractâ, ſaniem vulnus ex quâvis deligatione plorabat, vulneris deligatione neglectâ, anxietas mulierem corripuit, donec materiæ exitus concederetur, venter diu protuberare viſus ad contactum ſenſibilis perſtitit, corpore tamen & viribus inſigniter aucta, dum menſes periodicè prodirent, vix annus elabitur, & en! ſubſiſtentibus catameniis ſymptomata gravidis familiaria experitur, de graviditate non dubia, ſolùm de partu anxia fuit, metuens ne conatuum vi uteri pars læſa deterius aliquod damnum acceptura ſit, commodè tamen & geſtavit & felici partu excluſit filium nullâ labe notatum, quem ſuo lacte prope annum nutrivit, fiſtulâ ventris quo fuerat ſtatu perſeverante, mater verò prope miraculum corpulenta & vegeta, paucis abhinc menſibus, fèbre epidemicâ, ut ruri aſſolet fieri, curari neglectâ, vitam finiit.

VI. Huic illuſtrandæ novo experimento hiſtoriæ occaſionem non nuper ſuppeditâſſet Dn. Joh. Conradi Frankii Rothenburgenſis ſegmentarii, nunc ad Arborem Felicem Inquilini, Lectiſſima Uxor Lindaviâ oriunda, cui ex abortu iterato cum febre erratica, cardialgia, uteri ſtragulatu, aſthmate &c. diu colluctandum fuit, nihil non intentatum reliquit ad ſe à morbo vindicandam, ventricoſior facta, an hoc hyſterico pathemati vel graviditati adſcriberet ambigua, & Medicis & Impoſtoribus paſſim ſe credidit, poſtquam dies partûs longùm exceſſit, modò ut Tympanitica modò Aſcitica, perperam ubique tractata fuit. Curam per ſectionem abhorruit, & maritum ſub juramenti lege obteſtata eſt, ne poſt mortem in mali cauſam inquiri permittat, ſic ventris ad præcordia aſſurgentis mole fracta, tabida tandem occubuit.

VII. Spe ſuâ quandoque fruſtrari, & noſtrum de rebus abditis judicium fallax eſſe & incertum, ſecundum Divi Hipprocr. effatum Aph. S. 1. a. 1. ἡ δὲ κρίσις χαλεπὴ experimur in rebus quibus ceu maximè exploratis atque compertis omnem fidem tribuimus; id mihi cum muliere Tragâ Abbatiscellenſi

Bar-

Barbara Sondregger, quæ annos 36. nata, à tertii partus sui medio gestationis, ventrem insolitò augeri & septimo mense ceu trigeminorum molem gestaret simul & pedes & genitalia extumescere sensit, ex impetrato à me sale polychresto, secunda portione haustâ, copiam aquarum una cum fœtu exclusit. Puerperii dies tolerabiles fuerunt, plurimum tumoris primis diebus disparuit, lochia parcius fluxerunt, & abdomen perpetim tumidius permansit, ex puerperio prodiens negotiis rusticis curandis vires sufficiebant, anno elapso, ex assurgente magis magisque abdominis mole aliisque signis se denuò gravidam fœtu augurabatur, septimo mense simul cum ventre & pedibus & genitalibus extumuit, mihi fortè ibidem transeunti narratur, quid sibi ultimo partu acciderit, & ejusdem salis usus desideratur. Diaph. ♂ cum arcano duplicato remixtum trado, & sic tempus partus exspectandum commendo, hoc dum transiit, spe falsa opem denuò à me petiit. Tumor ut quidem stupendus ventrem occupavit, non tamen cachecticus color, non dyspnœa, non pedum œdema, nec urinæ suppressio notata est, ut proin de aliûs indolis, ac ex conceptione tubaria proveniente tumore, ne minima mihi insederit suspicio. In hoc nactus sum mihi consentientem Eximium loci Medicum, D. Doctorem Zellveger, non erat affectus cujus indicia evidentius cum hoc nostro convenirent; multo medicaminum apparatu pugnare, non viis ad everrendum Tubæ colliquamentum patentibus, haud libuit. Sale tamen polychresto tentatum est, si quid boni per exturbantia exspectandum sit, alvus commota est, at idem tumor permansit. Incisio abdominis ceu unicum mali remedium propositum est, aures Clinica præbuit, exemplo superius memoratæ, conterraneæ suæ commota, maritus permittere recusavit, sic re anni spatio adhuc protracta, inani opera oberratum est ubique; redierunt ad me denuò, prodigiosè interim tumor ex-

crevit, cui fidem nisi αὐτόπτης nemo dedisset, commensuratus fasciâ sesquiquadrantem ulnæ ventris crassities excedebat mulieris staturam, & quod hactenus spretum erat medendi genus, jam precibus expetitum est, ut verò re sic stante incisio tentaretur (sphacelo haud dubiè tubam sic simul evacuatam è vestigio excipiente) dudum est ancipiti deliberatione agitatum, vicit tandem curiositas, veram stupendi affectus causam exquirendi æquè, ac commiseratio miseram tanto onere levandi, præsertim dum vires constarent, & vitalibus æque ac animalibus ritè defungeretur. St. Gallum ut deveheretur curavi, quod tempore hyemali alto nive tecta terra, commodè accidit, & in lecto trahæ imposito præstitum est, accessit, dubium an animo vel corpore major, scilicet utcunque res cesserit, se se DEO & Medicis totam devovens, vix latitudinem fores habebant pro ingressu sufficientem, non fuerunt ex plerisque præcipuis familiis, qui non & muneribus & alimentis beneficos se ipsi præstarent, turba quin etiam ostenti spectatorum ex dissito advolavit, quorum nemo non per hypocaustum incedentem, ventre ex præcordiis ad genua propendente, & vasis cruore turgentibus consperso, cum stupore cerneret, dilatum est in miseræ solatium tempus operationis statutum, dum & quæstum sic faceret, & lautioris alimenti usu vires augerentur, convocatis tandem qui mutuas operas conferrent, commissum est quicquid ad curæ momentum conferre videbatur peritissimo apud nostrates Operatori, Domino Tribuno Sylvestro Hillero, & prævia deliberatione cum Excellent. Collegis DD. Hœggero, Hillero & Filio meo, conclusum est, elevata pro viribus ventris mole, prolixa incisione ad latus lineæ albæ per integumenta musculosa ad usque peritonæum penetrare, aperto dein peritonæi momento experiri seu stagminis lymphatici

tici in abdomine, seu Tubæ protuberantis præsentiam, pro stagmine ascitico minus solicitos nos fecit, facies pro corpore emaciatissimo coloratior, respiratio libera, genitalia & pedes tumoris expertes, urinæ largior proventus, & minus vitiosa, unde id maxime deliberatum inter nos est, qua ratione Tuba seu fœtu seu colliquamento corrupti fœtus gravida, hoc onere levata, (si insuper peculiares adhuc vesicas & folliculos, seu etiam tubera & abscessus foveat, ut Magnifico Domino Præsidi amicè commonere placuit, & in Ephem. N. C. Decur. 2. ann. vj. p. 89. historia exstat) prorsus everri, hoc Augiæ stabulum sine majore damno expurgari, gangræna & sphacelus arceri, & totius curæ cursus prudenter perfici queat, in singulis tritam Excell. Cypriani viam prosequi conclusum est; at quæ nos opinio fefellit! D. 11. Martii 1718. necessario apparatu constituto, prolixa incisione detectum est peritonæum, & hoc latiore vulnere sauciatum vim totam Cataclysmi simul tantâ copiâ profudit, ut huic excipiendo non quæ ad manus essent fistulæ sufficerent, quin totum conclavis pavimentum lymphâ profundè inundaretur; quæ alluvies colligi poterat, fistulas quinque implevit, quod nostratibus sesquiamphora est, mensuras 54. capiens; stupenda laticis simul exantlati vis, at magis hoc subiit mirari virium, vel animi defectum ne minimum observatum esse, quin vulnere duabus suturis & balsamo herniotomis specifico debitè munito, lætabundam & DEO pro immenso beneficio gratias agentem, in lectum deportatam esse; verè ostentum viderit quicunque viderit vacuas integumentorum lacinias ab utroque latere in lecto repositas; refecta jusculo & ventre linteis decocto herbarum vulnerario-balsamicarum ebriis custodito, ut quieti studeret jussa est. Somno placido peregit plurimum temporis & diei & noctis subsequentis, multis-

que conteftata eft, fe à biennio pacatius non dormiiffe, tenui victu & euchylo utebatur, pro potu hordeatum bibit, mixturâ analeptico - diaphoretica fubinde refocillata eft, mane & vefperi hauftum decocti herbarum traumaticarum fumfit, unde blandus mador obfervatus eft, alvus fponte officium fecit, urina largius ac unquam reddita eft, & quæcunque exfpectari poterant, natura ad miferæ confervationem moliebatur, nec ullas nifi de laciniis integumentorum, quafi cor in profundum fecum rapientibus, quærelas movit, laciniis altius & ventri congruè locatis, plurimùm levata eft, inde & manifeftè coibant, & linteis calido decocto imbutis involutæ, tertio die plus tertiâ parte corrugatæ videbantur, vulneris labia fuppurare ceperunt; id non affequi ratione potuimus, quòd inteftina, profluxum quâ datâ portâ intentantia, nec unquam fe confpectui obtulerint, d. 15. Martii inquieta & anxia, noctem infomnem egit, non appetiit, fitiit & pulfus febrilis erat, d. 16. haufto fale antifebrili ex fl. fal. ammon. ℈j. & nitr. ♁iat. ℈ß. fudor obtineri non potuit, quod ferofi liquaminis fub deligatione effluxit, nihil corruptionis feu fœtoris habuit, iterato ad vefperam fale antifebrili, fortius per noctem febricitabat, & multa delirans protulit, d. 17. continuò foporofa non vel parum ad interrogata refpondit, urinam involuntaria reddidit, nec quidquam curavit. *Serofitates* quæ prius in abdomine depofitæ, nunc in cerebri arcem excuffæ funt, diaphoreticis antifebrilibus, cephalicis in - & externis nihil præftitum eft, d. 18. invalefcente lethargo fpiritus fuppresfi, vitæ finem fecerunt.

Nefas

Nefas erat occasionem neglexisse, in tanti causam mali solertius inquisivisse, in qua asserenda tantoperè aberratum est, minusque conciliari potuit cum diuturno & omnem naturæ sphæram excedente tumore, totiusque simul laticis profusione, inaudita corpotis & animi virium constantia, liberum urinæ profluvium, dyspnœæ in erecta & sedente absentia, & alia quæ cum Hydropiseos ordinariis speciebus & effectibus minus conveniebant; exenteratio facta est mutuas manus conferentibus amicissimis Collegis, Excell. D. D. Zollicoffero & Hillero Poliatris, Hœggero item & Filio meo Med. Doctoribus. Refectis suturis post operationem hiatui quo minùs intestina proruerent occludendo injectis, vulnus ad costas usque & pubem productum est, & integumenta pro more transversim dissecta sunt, dum verò dubiis nos explicare quæsitum, scrupuli occurrunt novis erroribus nos implicantes, totum enim abdominis cavum, firmo operimento contectum, ne vestigium intestini vel visceris conspiciendum præbuit, ex peritonæo, quod cum musculoso integumento arctè erat unitum, hinc inde, præcipuè à parte anteriore plura tubercula glandulosa, fabæ adinstar majora & minora, extuberabant, quæ pressa limpidam lympham plorabant, in cavitate vix ℥j. seri residua fuit, corruptionis ex gangræna vel sphacelo labes minima notabatur, fœtor deterior cadaveroso non adfuit, dicto operimento per medium dissecto, conspecta sunt intestina & singula imi ventris viscera, suo quodvis loco recubantia sarta & omnis notabilis labis expertia. Uterus cum adpensis Tubis multum exinanitus & præter morem parvus. Solum hepatis parenchyma flaccidum fuit & turgidius, tunica illa seu operimentum quod asseris instar visceribus profundè incubuit, ut ne oculatissimus visceris præsentiam

augurari potuisset, nosque primo aspectu verè attonitos fecit, verum fuit Epiploon; quod subflavum, tota sui substantia æqualiter ubique induratum, pennam anserinam proximè crassum, & à fundo ventriculi ad latera cum vertebris dorsi, inferius cum osse pubis connexum erat, ut sic miro naturæ lusu intestina quasi pariete coriaceo munita sero inundari neutiquam potuerint, dum equidem reliquæ cavitates & sinus scatente lymphâ affatim turgerent.



OBSER-